




NAZIONALE
204
23 B
21
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA





DE
PECCATIS IGNORANTIÆ
SIVE
QUÆSTIO THEOLOGICA
AN
INSUPERABILIS IGNORATIO
JURIS NATURÆ
LIBERET A PECCATO
DISTRIBUTA
IN TRES PARTES
AUCTORE
CHRISTIANO ALETHINO
B. S. I. T.





COLONIÆ;
Apud Joannem Wilhelmum Friessem
juniorem, 1681.

25

Ad usu Fris Bon: Peltery 3.0.f.

AD LECTOREM.

De hujus ſcriptionis occaſione & modo.

DVm uni alterive, ut ſit, familiari communicatur, devenit tandem in manus meas exemplum epiſtolæ cujuſdam, datæ anno 1677. ipſis Kalendis Iunii, à virò tum ob nobilitatem, tum ob dignitatem, conjunctam cum inſigni doctrinâ, morumque probitate ſanè clariſſimo ac ſpectatiſſimo, quem ego, ut par eſt, voluntate ſummâ veneror ac colo, ad quemdam Religioſæ familiæ ſuperiorem. Legi avidè, & vidi omnia ferè in eam congeſta, quæ hoc tempore ſolent vulgò proferre ii, qui nullâ ignoratione juris naturæ volunt nos liberari à culpâ. Quamquam nonnulla ſunt quæ ipſius epiſtolæ quodammodò propria, certè in eâ fidentius liberiuſque dicta videri poſſint. Quis enim poſt Lutherum & Calvinum, præter paucos, eoſque ut plurimùm de fide ſuſpectos, palam apertèque auſus eſt profiteri rationem voluntarii liberique, quæ ad peccandum neceſſaria eſt, non inveniri in eo, qui peccat, ſed ab Adamo peccante mutuandam eſſe? idque, ſi ſuperis placet, cenſere magnum illud Eccleſiæ decus Auguſtinum? Profitetur

fitetur tamen id Epistola verbis minimè obscuris.

Mirabar equidem ad hæc silentium istius superioris. Videbam enim nihil esse, quod facilè promptèque dilui ac refutari non possit. Habuit tamen superior ille, sicut ex amicis cognovi, non respondendi causas & justas & honestas: sed quæ me quidem movere non debeant. Itaque stylum prehendi, & responsionem hanc concinnavi.

Nolui tamen sine illorum, ad quos præcipuè spectat, bonâ veniâ, quam nec habui, nec ut haberem laborandum esse duxi, integram, prout apud me est, epistolam publicam facere. Rem ipsam notavi, & discutiendam suscepi: quæ personarum propria sunt non attigi. Licuit itaque mihi immutato aliquantum ordine respondere. Attamen adscripsi in margine locos qui ex Epistolâ tractantur, & ad quæstionis totius calcem, brevem quamdam Epistolæ seriem ac epitomen subjeci, cum contractis ad capita singula responsionibus, scholarum more.

Non vereor ne legentem non expleam, quamvis idem fortasse plura de eodem argumento scripta volutaverit: quæ ferè spissis operosisque auctorum libris inspersa inveniuntur. Sunt enim (ni fallor) hic quædam, quæ aut omnino non, aut minus diligenter explicata ab aliis fuêre. Nobis quidem apud alios discere adhuc non licuit, quam nihil ad vim usumque pœnitendi,

quam

quam nihil ad omnem virtutem sanctitatemque præsidii in istâ Adversariorum doctrinâ reperiatur: quæ proinde ad perturbandos animos modò valêre videtur. Sed de his ille judicabit, qui quæstionem hanc attentè diligenterque pervolverit.

Cavi autem ne quid inurbanè dicerem, ne quid censorio calculo notarem. Nihil tamen reticeo, quod ad Adversariorum dogma convellendum penitùs, & infringendum facere videtur posse. Auctoritatem elevo, vanitatem coarguo, inutilitatem ostendo, pericula detego, novitatem non dissimulo: sed ità ut intrà defensoris limites me contineam. Quapropter dum nostrum dogma commune, *illorum verò* novum *appello, id ità accipi velim, ut novitati istud nequaquam quasi Iudex quæstionis sedens condemnem: eò videlicet id fit ut opposita inter se dogmata certis nominibus aptè distinguantur. Oppugnare Adversarios institui, non sententiam dicere. Scimus Romanos Pontifices de hujusmodi quæstionibus Iudices à Deo esse datos. Habes igitur, qui hæc leges, unde mentem nostram interpretêre, si quid, fortè incauto aut imprudenti exciderit in disputationis fervore, quod minus nonnulli posset placere. Quamquam confido nos eâ ubique moderatione usos, ut, qui malevolus non sit, modestiæ potius laudem nobis attribuendam judicet.*

Atq; hæc sunt, quæ paucis præmonenda putavi.

DE PECCATIS IGNORANTIÆ SIVE QUÆSTIO THEOLOGICA, AN INSUPERABILIS IGNORATIO JURIS NATURÆ LIBERET A PECCATO.

PROOEMIUM.

I. IN judicium venit IGNORATIO ; non illa, quæ VINCIBILIS est. Nullus enim hanc non condemnat. Nullus nescit, plurima maximaq; per illam quotidie fieri peccata. Sed illa, quæ VINCI NON POTEST, quæ INSUPERABILIS est. Inventi sunt, qui hanc criminum verorum contendunt esse causam; eumque, qui deceptus hujusmodi ignoratione quidpiam agit contra naturæ legem, fieri & culpæ & pœnæ reum apud Divinum numen. Mirabitur haud dubiè insolentiam quæstionis, quicumque habet mentem à fallacium

cium suasionum fucis adhuc immunem.

2. Quisquis enim vel prima disciplinæ Christianæ rudimenta perceperit, satis novit quod sicut originale peccatum contrahitur per voluntatem alienam, sic impossibile sit ut illud peccatum, quod quisque per se facit, non fiat voluntate propriâ. Idcircò enim illud *Originale* vocatur, quia ab alienâ malâ voluntate originem trahit: hoc verò appellatur *actuale* sive *personale*, quia quæ persona rea peccati fit, ipsamet in se, & per se reipsa malum vult & facit. Ad illud nulla cognitio, nulla voluntas propria necessaria est: quid enim cognoscere, aut velle potest homo recens Matris utero conceptus & conclusus? hoc verò ideò Deo displicet & homini nocet, quia malum cognoscitur, & patratur. De originali loquitur Paulus Doctor Gentium ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.... unius delicto multi mortui sunt .... unius delicto mors regnavit per unum .... per inobedientiam unius hominis peccatoris constituti sunt multi.* Constituti sunt, inquit, peccatores, & quidem non per inobedientiam, quam

ipſimet in ſe commiſerunt, ſed *per inobedientiam unius hominis: in quo omnes peccaverunt*. Non igitur peccaverunt in ſe nec per ſe; ſed in alio & per alium.

3. Quibus omnibus egregiè conſonat Tridentinum ſeſſ. 5. Aſſerit enim ibi, quod Adam inquinatus per inobedientiæ peccatum, in omne genus humanum transfuderit peccatum. Transfuſum igitur in poſteros ab illo eſt peccatum originale, non ab his propriâ ſuâ voluntate malâ in ſeipſis patratum: imò nec patrari potuit; nam pulcherrimè Tridentinum dicit, quod parvuli *nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt*. Capaces nimirum ſunt originalis peccati, ad quod nulla cognoſcendi aut volendi facultas requiritur: minimè verò capaces ſunt peccatorum actualium, quia hæc ſine cognitione & voluntate malâ ac propriâ non perpetrantur. Ideòque Tridentinum ſtudioſè notat, quod *in ſemetipſis* peccare non potuerint. Nam qui peccat actualiter, peccat in ſemetipſo, vi ſcilicet cognoſcendi & volendi ſibi inſitâ malè abutens, non alienâ. Qui verò habet vel traxit (ſic enim loquitur Tridentinum) ex Adam originale peccatum, ille non in ſemetipſo, ſed in alio

alio peccavit, neque adeò potentiâ propriâ, sed alienâ. Quocircà etiam Tridentinum animadvertit, quod originale peccatum, *propagatione, non imitatione transfusum sit:* quo constet posteros Adæ nihil debere scire, nihil velle, nihil agere, ut contrahant peccatum originale; quod tamen secùs esset, si imitatione transfunderetur. Quæ enim esse potest imitatio, ubi nec cognoscitur, nec appetitur quidquam?

4. Habemus itàque accuratè nobis declaratam peccati originalis naturam, atque adeò discrimen ingens, quo differt à peccato actuali ex quo illud quoque consequitur, quod de vitandis peccatis actualibus præcepta data sint: nullum verò de vitando peccato originali, quo quidem posteritas Adæ obligetur. Sit præceptum de peccato originali per regenerationem tollendo: at nullum est de eo prævertendo. Quid ità? quia præceptum nullum esse potest, ubi nec rationi nec voluntati locus est ullus. Ubi verò homo rationis usum habere potest, ac malum noscere & velle, ibi vinculo sive naturalis, sive cujusvis alterius præcepti constringitur.

5. Quemadmodum verò peccata illa inter se tantoperè differunt, sic Christus

propria quædam singulis & diversa quoq; præscripsit remedia. Originale enim per Baptismum abluitur: actuale per Sacramentum pœnitentiæ condonatur.

Augustinus clarissimum illud Ecclesiæ lumen consentiens supradictis lib. de 2. animabus cap. 11. peccatum actuale definit, quod sit *voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Legerat tum alia, tum illud Jacobi 4. *Quicumque ergò voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Agit enim ibi Apostolus de peccatis actualibus, quæ ex concupiscentia, quæ in nobis est, oriuntur. Originale enim non videtur oriri ex concupiscentiâ, quæ in nobis est, quamvis cum illâ conjunctum sit. Discimus ergò hinc, quod, ut actualiter pecces, necesse sit velis peccare, saltem interpretativè: neminem autem jure interpretaberis velle peccare, cui incognita est ratio peccati. Idem S. Doctor Augustinus lib. 3. de lib. arbitrio cap. 18. sic interrogat: *An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? si ità est, nulla peccata sunt.* Atqui in ignoratione insuperabili, tanta est fallacia ut nulli circumspectioni sit locus ad cavendam actionem, quæ peccatum esse dicitur,

citur, adeòque omnino caveri non potest peccatum, quà tale. Quis igitur adeò alienus est à communi sensu, ut audeat dicere peccari ab eo, qui fallitur & decipitur, per ignorationem vel nescientiam insuperabilem? Certè id ne cogitari quidem videtur posse de peccato actuali. Nam hoc, ut jam vidimus per hoc ab originali secernitur, quod originale peccatum contrahatur peccando in alio, hoc est in alienâ liberâ voluntate; actuale verò peccatum committatur in nobismetipsis, nostrâ scilicet propriâ & liberâ voluntate.

6. Et tamen inventi sunt, qui id cogitarent; si quidem mente concipi quidpiam aliter possit, quam sit ipsa rei natura: ausi certè fuêre id impurissimis suis libris inserere Lutherus & Calvinus, duæ orbis terrarum pestes. Quorum primus solito suo supercilio contradicens communi Catholicorum doctrinæ cap. 12. in Genesim modestum illud scilicet effutivit epiphonema. *Tanta cacitas est in Papæ scholis & ecclesiis.* Alter verò Lutheranæ arrogantiæ æmulus in caput 12 Lucæ, idem amplectitur & tuetur dogma. Sic præclari illi duces classicum cecinerunt, & ad hujus belli societatem contrà Catholicos, sive contrà eos,

eos, ut ipſimet teſtantur, qui *in Papæ ſcholis & Eccleſiis* ſunt, cæteros invitarunt.

7. Si quæris undenam ad dogma tam ab hominum ingenio alienum, prolapſi ſint, aut quomodò id aliis potuerit placere, aut probari? paucis dico. Dogma hoc ex alio, ut fit errore profluxit. Protruſerant jam in lucem, duo illi Hæreticorum temporis noſtri anteſignani, propoſitionem illam peſtilentem: in ſtatu naturæ lapſæ peccari etiam per id, ad quod inſuperabilis neceſſitas hominem abriperet: hinc nihil fuit magis pronum, quam ut itidem dicerent, peccari per id ad quod inſuperabilis quoque ignoratio hominem abduceret. Nam quemadmodum neceſſitatem, ut per eam peccetur, excuſant, vel potius accuſant, per libertatem indifferentiæ, quâ præditus fuit Adam. Sic ignorationem, ut per eam peccetur, accuſant per cognitionem & voluntatem, quâ malum novit & voluit Adam. Quaſi verò in ſemetipſo quis peccatum committere poſſit, voluntate, quæ eſt in alio. Sed de hoc plura in loco.

7. Caverunt autem vafri illi Doctores, ne deformem hunc partum, ſic prout in ſe eſt, orbi oſtentarent, prævidebant enim

fore,

fore, ut vel ad primum aspectum, fugerent omnes, eumque perhorrescerent. Itàque multis ascitis fucis & coloribus ad speciem fuit depingendus, & exornandus. Nullus de illâ necessitate, nullus de insuperabili ignoratione audiebatur sermo, quin continuò in profundissimæ animi demissionis; in divinorum judiciorum ad stuporem usque admirationis; in arctissimæ cujusdam ad cælum viæ, ac scilicet in D. Augustini, qui id quoque si fas est credere, senserit, largam atque prolixam commendationem ac prædicationem prorumperent.

8. Depugnaverant jam Hæretici etiam pro dogmate isto, contrà Catholicos annos aliquot: quando Catholici ipsi inter sese dividi cæperunt operâ præcipuè & ductu Michaëlis Baii, & Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi, alumnorum Academiæ Lovaniensis. Hi enim in illam Lutheri & Calvini sententiam tandem concesserunt: hoc tamen discrimine. Asserebant hæretici nullam ignorationem sive juris naturæ illa sit, sive positivi, liberare à culpâ. Jansenius verò solam accusat ignorationem juris naturalis. Hanc enim statuit esse peccati originalis pænam, non alteram.

alteram. Non ignoro esse, qui censeant Lutherum putasse ignorationem juris positivi liberare à peccato, non verò ignorationem juris naturalis. Si ità est, non erit à Luthero secernendus Jansenius.

Quâ parte autem Jansenius (quem, quia Bajanam doctrinam præcipuo quodam studio instauravit, præ Bajo ferè nominabo) consentit hæreticis, eatenus egregiè premit eorum vestigia. Videntur tamen hæretici ea, quæ adscribunt juris naturæ ignorationi, magis probabili consecutione transferre ad ignorationem quoque juris positivi.

9. Sed non sine cogitatione & consilio Jansenius videri voluit aliquatenus dissentire ab illis, quorum nomina tam erant invidiosa & probrosa. Judicavit homo, non omnino inconsideratus ità studendum uni parti, ut non amitteret alteram. Ideoque cum Hæreticis agnovit in voluntate necessitatem, cum Catholicis verò voluit nihilominus retinêre aliquod libertatis nomen: atque eodem artificio divisit inter partes præsens de quo loquimur dogma. At in causâ quidem libertatis documentum insigne dedit, quod *nemo potest duobus dominis servire.* Nam apud hetero-

doxos

doxos gratiam non mediocrem inivit, a quibus etiam laudibus fuit exornatus: Catholicos verò graviſſimè offendit, ſic ut ab Innocentio X. illa ipſius doctrina debuerit proſcribi. Si quis augurationi locus detur, non meliorem ignorationis cauſa videtur poſſe ſperare fortunam. Eſt enim utraque prorſus inter ſe juncta, ac propè eadem. At de hoc decernet Sedes Apoſtolica, cujus ſupremæ ac divinæ auctoritati totos nos ſubmittimus ac devovemus.

10 Porrò, egregiè, ut diximus, premit Janſenius heterodoxorum veſtigia. Nam perinde atque illi ex dogmate de libertate, in hoc de ignoratione prolapſus. Exhorruit item ad aſpectum tam monſtruoſæ prolis: quam lib. 2. de ſtatu Nat. lapſæ cap. 4. *arcanam & tremendam doctrinam*, appellavit. Itaque ſimili omnino larvâ ejus deformitatem tegere conatus eſt. Hinc illæ toties ab ipſo, ipſiuſque ſectatoribus iteratæ voces: *O! altitudo* &c. *quam arcta via eſt*! & plures ejuſmodi.

11. Unum tamen eſt in quo poſtremis hiſce temporibus, hi qui dogma illud tuentur, viſi ſunt longo intervallo ſuperare ſuos Magiſtros & imperatores. Cum enim ſentirent nullâ adhuc arte ſatis leniri potuiſſe

tuisse horrorem, quem solet ingerere sua illa tremenda doctrina: ingenti quodam ausu dicere cæperunt, nullam dari ignorationem juris naturæ, quæ vinci non possit, cum peccatur: digni profectò quorum nomina ad immortalitatem consecrentur. Proinde silendus non est scriptor inter illos famæ non vulgaris Macarius Havermannus, qui in Theologia Morali Tract. 1. cap. 8. §. 13. n. 212. sic loquitur: *Diu tenui, & bis in publicis Thesibus defendi, nullam ignorantiam invincibilem juris naturæ excusare à peccato, etiam supponendo dari talem invincibilem ignorantiam.* Tum profitetur se jam docere *omnem ignorantiam juris naturæ esse vincibilem.* Causam addit. *Quiá nimis dura videbatur illa prior doctrina.* Quis non Doctores ejusmodi, tamquam cælo lapsos suspiciat? qui instar solis hujus dispellunt tenebras omnes? qui æquabiliter literatorum & rudium, seniorum & adolescentium, virorum & mulierum mentibus vim facultatemque conferunt, statim eruendi, quidquid reconditum est in jure naturale universo? O! stultos majores nostros, qui tanto labore ætatem propemodum ac vitam suam insumpserunt enodandis implexis de jure & justitiâ, de charitate, deque

toto

toto naturæ jure, quæstionibus! o! frustrà susceptos conatus illos omnes! Nam illi post tam longa studia in maximè varias sententias & opiniones distracti fuêre, & inscitiam suam fateri coacti sunt. Jam verò nova quædam & insperata lux tandem est oborta, qua unusquisque quantumvis expers omnis disciplinæ possit inscitiæ illius tenebras omnes vincere, & controversias omnes explicare: quotiescumque sese offert aliqua legis naturæ violandæ occasio. Sed veniamus ad quæstionem redibit enim suo ordine argumentum.

Quæstionem verò hanc visum fuit in tres distribuere partes. In primâ de ratione; in alterâ de autoritate; in tertiâ de novi dogmatis utilitate vel sanctitate disceptabitur.

DE PECCATIS IGNORANTIÆ SIVE QUÆSTIO THEOLOGICA, AN INSUPERABILIS IGNORATIO JURIS NATURÆ LIBERET A PECCATO.

PARS PRIMA.

Ponderantur rationum momenta.

12. IN hac parte oſtendemus primùm, ignorationem juris naturæ, ſi inſuperabilis ſit, liberare à peccato: tum probabimus eam nonnumquam inſuperabilem eſſe. Simul ea, quæ Adverſarii contra duas haſce aſſertiones opponunt, duobus itidem capitibus refutabimus.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Ignorationem juris naturæ, quando insuperabilis est, liberare à peccato.

DEscendant nobiscum in arenam contrà Adversarios, duo clarissima Ecclesiæ lumina Augustinus & Thomas: utriusque enim res æquè agitur, atque nostra.

Augustinus siquidem lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. planè edisserit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Et ibidem cap. 18. *an tanta fallacia est ut caveri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt.*

D. Thomas verò 1. 2. qu.76. art. 3. sic loquitur: *Si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive* QUIA EST INVINCIBILIS, *sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia* OMNINO *excusat à peccato.* Item art. 4. MANIFESTUM *est autem, quod ignorantia, quæ* TOTALITER *à peccato excusat; quia totaliter voluntarium tollit, peccatum* NON MINUIT *sed* AUFERT.

En quam universè, quàm non obscurè, quam non dubitanter loquantur duo hi sanctissimi, maximique Doctores. Verba illorum nostra sunt, neque enim possumus planius, quod sentimus edicere. Doctrinam verò D. Thomas dicit esse MANIFESTAM.

Et tamen Adversarii nituntur illam obscurare, & non verentur tantis viris refragari. Parcite, inquiunt spe illâ vanâ homines decipere. Non enim id modò, quod quis negligit quærere, sed & illud deputatur ad culpam, quod invitus ignorat: & quamvis ignorantia sit omnino involuntaria, quia est invincibilis, & quamvis sit tanta fallacia, ut caveri omnino non possit, tamen non excusat omnino à peccato. Hæc illi.

13. Sed juverit quæstionem infinitam ad hypothesim reducere. Dabit nobis hanc S. Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 16. in fine, ,,ubi sic narrat: Antiochiæ . . ante 50. ,, fermè annos, Constantii temporibus . . . A- ,, cindinus tunc præfectus . . . cum quemdam li- ,, bræ auri debitorem fisci exigeret . . . comina- ,, tus est jurans . . . quod si certo die, quem con- ,, stituerat, memoratum aurum non exolveret, ,, occideretur . . . & fortè (debitor) habebat uxo- ,, rem pulcherrimam . . . cujus mulieris pulchri- ,, tudine cum quidam dives esset accensus . . . ,, misit ad eam pollicens pro unâ nocte . . . se ,, auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret, ,, non habere sui corporis potestatem, sed virum ,, suum, pertulit ad eum . . . egit ille gratias, & ,, ut id fieret imperavit. nullo modo judicans ad- ,, ulterinum esse concubitum, quod & libido ,, nulla, & magna mariti charitas, se jubente, & ,, volente flagitaret. . . . Nihil hic in alteram par- ,, tem disputo, liceat cuique æstimare, quod ve- ,, lit . . . narrato hoc facto, non ità respuit hoc

sensus

„ sensus humanus, quod in illâ muliere viro ju-
„ bente commissum est; quemadmodum anteà
„ cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, hor-
„ ruimus. Ità Augustinus.

Habemus ignorationem juris naturæ. Nam teste Augustino, debitor ille *nullo modo* judicabat adulterinum esse concubitum, qui tamen adulterinus reverà erat, & qualem natura ipsa perhorrescit. Quid igitur de isto debitore, ejusque uxore Adversarii? nihil dubitant. Clamant illos reos esse gravissimi criminis, vel quod ignoratio illa vinci potuerit; vel quod non liberet à culpâ, etsi vinci non potuerit. Dubitat tamen Augustinus, quin imò potestatem cuique facit disputandi, & æstimandi quod velit.

Quæ porrò potuit Augustino esse causa dubitandi, nisi quia non satis constabat an ignoratio illa fuerit reverà insuperabilis? quid enim aliud potest hic fingi excusationis? Nisi fortè Augustinus ipse ignoraverit concubitum hujusmodi fuisse nefarium, id temporis, & loci.

Jam verò si dubitandi locum reliquerit Augustinus in adulterio, fœdo & pudendo peccato; quid existimamus illum scripturum fuisse, si non de adulterio fuisset quæsitum, sed de deposito, de mendacio, de censu, de usurâ, de simoniâ, de scandalo, de contractu, de implexo denique quopiam genere causæ, in quo quid natura vetet, quid permittat, ne hodie quidem satis compertum est?

14. Quid si etiam debitor ille putasset non



modò non impiè, verum etiam piè fieri id, quod ignorabat esse nefas? sic putavit rusticus ille, de quo Gabriel Vasquezius in 1.2. disp. 122. cap.2. *Vidi ego*, inquit, *rusticum aliquem, qui pium existimabat ægrotum jam jam moriturum, ne diu dolore mortis detineretur, in alteram partem versare, ut citius animam exhalaret, nec umquam id sibi illicitum, imò pium & honestum semper apparuit. Quem sanè facto sufficiente examine, mihi persuasi ignorantiâ inculpabili laborasse.* Quid si non pium modò, sed prætereà necessarium, & à Deo præceptum judicasset? sic enim D. Thomas 1. 2. qu.19. ar.5. disputat de eo, cui ut malum proponitur abstinere à fornicatione. Denique quid si quis videat & judicet, nî id faciat, non suam unius, sed plurimorum vitam certo discrimini exponendam? quid vitam dico? prævideat integram provinciam, regnum maximum in Idololatriæ aut Hæreseos miserrimum statum prolapsurum, exoritura inde perjuria, furta, homicidia, aliaque nefanda scelera innumera, per quæ multa hominum millia tandem ruant in exitium sempiternum: ad quæ mala avertenda sese omni jure obligatum censeat, faciendo quidpiam, quod alioquin fieri non posset, nunc verò necessarium sit. Quid Augustinus de errore, qui in re non pessimâ tot tantasque haberet causas, censuisset, qui de Adulterii casu dubiam posteris suam reliquit mentem?

Ex his nî fallor, satis cognoscitur quæstionis nostræ status. Dicimus enim ignorationem (idem esse patet de inconsiderantiâ) in casibus jam

jam allatis, si insuperabilis sit, liberare à culpâ. Id quod sequentibus articulis conabimur demonstrare.

ARTICULUS I.

Sine voluntate non peccari.

15. Sine voluntate peccari non potest. Voluntate si sustuleris è rerum naturâ, simul omnis peribit peccandi facultas. Ideò enim belluæ, quantumvis immania faciant, peccati culpam vel ex hoc solo non contrahunt, quia sine voluntate ea fiunt. Homines utpotè voluntate præditi legibus gubernantur: bestiæ vi quadam majori coërcendæ sunt.

Neque tamen hoc ipso peccat voluntas, quod est. Nam nisi accesserit proprius quidam ac inferior ejusdem facultatis usus, quo peccare aliquo modo velit, neutiquam peccabitur. In infantibus scimus inesse voluntatem, sive peccandi facultatem quamdam: at quia propter contrariam adhuc humorum membrorumque habitudinem nondum potest esse aliquis facultatis illius usus motusve, idcircò peccare in Deum non possunt.

Ut quis igitur culpæ reus fiat, non satis est patrari quidpiam ab eo, quod noxium sit, & vetitum, nisi patretur voluntate malâ: ne belluas, infantes, amentes, cum ea faciunt quæ legibus repugnant, culpæ apud Deum reos fieri cogamur confiteri: & regi legibus posse, quarum trans-

 gressione

gressione rei culpæ evadant. Nequaquam, inquies, isthuc cogemur confiteri. Non enim belluæ indifferenti rationis judicio præditæ sunt. At S. Bern. serm. 3. de Resurr. *quid*, inquit, *odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria & infernus non erit.* Et de duplici Baptismo dicit: quod voluntas propria *SOLA deinceps damnare possit animas nostras.* Nimirum non rationis judicium odit aut punit Deus: non est infernus propter judicium rationis, non potest judicium rationis damnare animas nostras, sed *sola* voluntas. Potest enim judicium rationis carere omni culpâ, quamvis circa rem pessimam sibi objectam versetur: cujus malitiam citrà culpam nullo prorsus modo velle possum. Cur igitur sine isto judicio rationis peccari non possit, si possit sine voluntate malâ? Quid si pari jure contendere velim, peccare hoc ipso quemcumque, quo id facit, quod post judicium indifferens rationis velle nefas est?

Age, quid respondebis ei, cui libuerit argutari in hunc modum? Per serpentem, cui Deus maledixit Genes. 3. si historiam spectes, intelligitur verus serpens, verum animal; per quod mysticè designatur cacodæmon. Itaque, inquiet aliquis, serpens ille verè fuit reus culpæ & pœnæ. Nam à malo dæmone actus persuasit Evæ, ut comederet vetitum pomum: *Quæ respondit: serpens decepit me, & comedi.* At, inquis, serpens ille neque facultate volendi, neque judicandi præditus fuit. Sic est, respondebit alter. Verum si, te fatente,

ut pecces, necesse non sit, ut aliquo saltem modo velis malum; multò minus necesse erit, ut judices esse malum: si modò facias id, quod post judicium rationis nemo velle sine peccato potest. Quid si etiam in rem suam adducat illud Genes. 3. *Et ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ* &c. *quia fecisti hoc*: Non, quia judicasti. Argutiæ hæ sunt minimè probabiles, quæ nullo negotio refelluntur, si dicamus neminem culpæ reum fieri, nisi qui quoquo modo velit peccare, atque adeò etiam sciat judicetque peccari, sicut deinceps exponemus. Caruit verò utrâque facultate serpens. Alias proinde ob causas Deus malè precatus est serpenti: sicut ibi etiam ipsi terræ malè precatus est. Fateamur igitur sine voluntate malâ peccari non posse. Ubi autem est voluntas mala ibi necessario est peccatum, quamvis nullum prætereà illi adjungatur opus vetitum; imò quamvis ei adjungatur opus alioquin licitum atque adeò laude dignum. Fit enim dignum vituperio, quidquid cum voluntate malâ conjungitur.

Jam verò omne, in quod voluntas illo sui ipsius usu fertur & movetur, id voluntarium dicitur: & fieri potest, ut insint quædam in uno eodemque opere, quæ voluntaria sint, quædam quæ non sint. Sic occisio potest alicui voluntaria esse quatenus hominis occisio est, non verò quatenus est offensio Dei: si nimirum per illud suæ voluntatis exercitium feratur & moveatur in hominis occisio-

occisionem, sic ut non feratur, aut moveatur in offensionem Dei.

Nullum itaque potest esse peccatum, quod non sit voluntarium: sive nisi voluntas se moveat in peccatum. Hoc enim nisi fiat non erit voluntas mala. Sola enim voluntas illa est mala, quæ aliquo modo vult peccare: & sine voluntate malâ peccatum ne cogitari quidem potest.

Atque hæc fuêre explorata Angelico Doctori qui 1. 2. qu. 76. art. 4. breviter & apertè eadem tradit his verbis: *Omne peccatum est voluntarium.* Et magnum illud Ecclesiæ ornamentum Augustinus lib. 1. Retract. cap. 13. ità pronunciat: *Non itàque falsum est quod dixi: usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Atque ibi, & cap. 15. pulcherrimè explicat, quomodò peccatum originale sit voluntarium voluntate alienâ: peccatum verò aliud, scilicet actuale voluntarium sit voluntate propriâ. Ideò de parvulis dicit: *Non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri.*

Si igitur ostenderimus, non posse actuale peccatum esse voluntarium, quamdiu manet peccati ignoratio insuperabilis: patebit ni fallor, quod omnis ignoratio insuperabilis liberet à peccato: Isthuc verò pergemus ostendere articulo, qui sequitur.

AR-

ARTICULUS II.

Sine cognitione peccati, non posse esse voluntarium peccatum.

16. OMni retrò ætate fuit hæc communis hominum sententia: non posse esse voluntarium id, quod ignoratur. Hinc tritum illud: *Voluntas non fertur in incognitum.* Si itaque occisio hominis sit cognita; offensio verò Dei nec cognoscatur nec cognosci possit, voluntaria quidem sit hominis occisio, at nullo modo voluntarium poterit esse peccatum. Hoc enim incognitum est, voluntas igitur in illud ferri non potest. Si autem peccatum voluntarium non est, nec peccatum est, ut constat ex art. 1.

Rem hanc alioquin claram illustrent duo illa orbis lumina Thomas & Augustinus. Et Thomas quidem 1, 2. qu. 6. art. 1. *Voluntarium*, inquit, *dicitur esse secundum definitionem Aristotelis, & Gregorii Nysseni & Damasceni, non solum cujus principium est intra,* SED CUM ADDITIONE SCIENTIÆ. Ità ille, consonans ut solet, bellissimè Augustino, qui lib. 3. de libero arbit. cap. 19. & lib. de naturâ & gratiâ cap. 67. sic loquitur: *Peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & à* SCIENTE *committitur.* Vide quomodò à magnis illis Doctoribus duo requirantur ad committendum proprii nominis peccatum, & ut voluntas faciat id, quo peccari potest,

&

& ut faciat ſciens eſſe peccatum. Quis autem non videt, ubi ignoratio peccati vinci non poteſt, ibi nequaquam inveniri poſſe ſcientiam peccati? neque adeò peccatum poſſe eſſe voluntarium?

Hinc illud quoque rectè concluditur: eâ proportione augeri, minuique malitiam peccati, quâ augetur, minuiturve ipſum voluntarium: ſic ut cum ceſſare incipit voluntarium, mox deſinat quoque eſſe peccatum. Voluntarium porrò creſcit, decreſcitque æquo paſſu cum ſcientiâ, ſic ut hac abſente etiam illud pereat.

Tradit hæc accuratè D. Thomas 1. 2. qu. 6. ar. 8. *dicendum*, inquit, *quod ignorantia habet cauſare involuntarium, eâ ratione, quâ privat cognitionem, quæ præexigitur.* Item qu. 76. ar. 4. *dicendum*, inquit, *quod quia omne peccatum eſt voluntarium, in tantum ignorantia poteſt diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium: ſi autem voluntarium non diminuit, nullo modo diminuet peccatum. Manifeſtum eſt autem, quod ignorantia, quæ totaliter à peccato excuſat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, ſed aufert.* Ità D. Thomas, ex quibus quoque manifeſtum fit, quod ignoratio peccati, ſi vinci nequeat, auferat peccatum.

AR-

ARTICULUS III.

Non esse peccatum, quod non est contrà conscientiam.

17. Conscientia, inquit, D. Thomas 1. 2. qu. 19. art. 5. *Nihil aliud est, quam applicatio scientiæ ad aliquem actum. Scientia autem in ratione est.* Ille igitur agit contrà conscientiam, qui agit contrà scientiam, prout hæc applicata est ad actum. Atqui ubi est peccati ignoratio insuperabilis, ibi nulla est scientia peccati, neque adeò ulla scientiæ applicatio ad peccatum, ergò qui agit ex ignoratione peccati insuperabili, non agit contrà conscientiam: neque adeò peccat. Inde enim vocatur conscientia, quia ratio sive mens conscia est peccati: in eoque vitiositas & malitia peccati est sita, quod voluntas velit & faciat id, à quo conscientia illam absterret. Quomodò autem voluntas potest ire contrà conscientiam, ubi hæc nihil contradicit, nec contradicere potest?

Quis verò illud hinc etiam non colligat, opus quod à voluntate patratur, illi tantummodo vitio & culpæ verti, quatenus scientia ad illud applicatur: ita ut, si scientia non applicetur ad opus, quod fit, tamquam ad peccatum, nequeat illud voluntati culpæ dari, quamvis alioqui prohibitum sit? Explanet hoc verbis suis Doctor Angelicus loco jam laudato: *Quia*, inquit, *objectum voluntatis, est id, quod proponitur à ratione, ut dictum est;*

ex

ex quo aliquid proponitur à ratione ut malum, voluntas dum in illud fertur accipit rationem mali. Hoc autem contingit non solum in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis. Non solum enim id quod est indifferens potest accipere rationem boni, vel mali per accidens, sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali: vel ILLVD, QVOD EST MALUM POTEST ACCIPERE RATIONEM BONI, PROPTER APPREHENSIONEM RATIONIS. *Puta abstinere à fornicatione bonum quoddam est, tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod à ratione proponitur. Si ergò proponatur, ut malum à ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali, unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis.* Hæc ille. Si itaque hic abstineat à fornicatione, peccabit.

Quamvis autem sanctissimus ille Magister satis apertè mentem suam declararit de conscientiâ non modò obligante, sed etiam excusante, illis nominatim verbis: *Illud quod est malum potest accipere rationem boni, propter apprehensionem rationis.* Tamen artic. 6. speciatim de hac agit & sic pronuntiat: *Manifestum est quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium tollit rationem boni &* MALI *moralis.* Et quia hoc tam Manifestum est, idcircò de eo nihil prætereà quærit, sed pergit toto reliquo articulo disputare de ignoratione vincibili & voluntariâ: sicut liquet tum ex aliis, tum ex hisce verbis ad tertium. *Quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Quæ

omnia

omnia mirificè confirmant nostram & communem doctrinam.

Superest unum annotandum: perinde esse, nihilque referre, sive error conscientiæ vinci possit, sive non, ut voluntas sit mala: si modò conscientia proponat, & voluntas velit malitiam aut peccatum. Ideòque D. Thomas articulo 5. universè de omni ignoratione loquitur. Quando verò artic. 6. quærit, quomodò voluntas possit manere bona, tametsi velit quidpiam, quod conscientia quidem proponit ut licitum, cum revera sit illicitum, sapientissimè distinguit ignorationem superabilem ab insuperabili; illamque docet neutiquam liberare à culpâ, hanc verò liberare, asserit esse manifestum.

ARTICULUS IV.

Peccatum factum ex ignoratione insuperabili; neque originale esse posse, neque actuale.

18. OMne peccatum vel originale est, vel actuale. Aut, ut S. Augustinus loquitur epist. 105. ad Sixtum, vel est reatus originis, vel additamentum propriæ voluntatis. Illud fit per voluntatem alienam in alio, atque ex eo transfunditur in illum, cui inest. Hoc per voluntatem propriam committitur ab eo, & in eo, cui inest. Illud parvuli contrahunt generatione, & lavacro generationis expiatur: hoc patratur à solis adultis, & vel per sacramentum baptismi, vel per Sa-

cramentum baptiſmi, vel per Sacramentum pœnitentiæ, ſi non deſit conveniens præparatio, condonatur, ſicut à numero 2. uſque ad 6. expoſuimus.

Nunc quæro ab Adverſariis, peccatum, quod ex ignoratione inſuperabili fieret, eſſetne originale? an actuale? Non exiſtimo illos faſſuros originale fore, nam, ut alia omittam, deberet expiari Baptiſmo; quem tamen nefas eſt iterare. Actuale igitur ſit, neceſſe eſt. At ubinam ſcientia peccati? ubi voluntas mala? ſine his enim non peccatur. Atqui is, qui ſic ignarus peccati, quidpiam facit, abhorret nonnunquam ab omni etiam leviſſimâ peccati ſuſpicione: & in eo ipſo opere, quod agit, deteſtatur omnem Dei offenſionem, imò ideò agit, ne peccet. Habet igitur voluntatem bonam. Si itàque ex mente D. Thomæ proximè laudati, *manifeſtum eſt, quod illa ignorantia, quæ cauſat involuntarium tollit rationem boni, & mali moralis*: Manifeſtum quoque eſt, opus illud quantum quidem ad Deum pertinet, non poſſe habere rationem, mali moralis, ſed potius boni.

Non diſſimulant Adverſarii ſe hic difficili loco conſiſtere; idcircò nonnulli, & ſcientiam mali, & voluntatem malam conantur accerſere ab Adamo his verbis: * *Si autem ei* (Auguſtino ſcilicet) *objiciatur, eum qui ſic peccat, carere libertate ad peccandum neceſſariâ, hoc totum acceptum refert primævæ Adami peccantis libertati.* Peccabitur igitur voluntate non propriâ, ſed alienâ; non in nobis,

* *Epiſt.* 8. 9.

nobis, sed in alio. Atque ità relabuntur ad proprietates peccati originalis; nisi malint tertiam quamdam peccati speciem comminisci, hactenus inauditam.

ARTICULUS V.

De divisione peccatorum actualium.

19. PEccatorum actualium, alia præcipuo ac proprio nomine sic vocantur, quia vitio vertuntur, & culpæ pœnæque reum constituunt: alia verò communi vulgarique vocabulo sic nuncupantur, vel quia à veris peccatis orta sunt, vel quia ab illis oriri solent, vel quia lex ea vetat, neque adeò suaderi umquam possunt, vel denique similem quamdam ob causam; sic tamen ut amicitiam Dei non lædant, quia non sunt conjuncta cum voluntate pravâ, quin imò nonnumquam videntur proficisci à voluntate bona.

Quorsum hæc? inquient Adversarii. Agnoscimus enim peccata quædam propriè, quædam minus propriè ità appellari. Agnoscant sanè. Id jam non ago. Sed istud, quæso, edisserant, quomodò tueri possint illam Tridentini Concilii sententiam. sess. 5. n. 5. *Concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccata inclinat. Siquis contrarium senserit, anathema sit.* Sive ergò igno-

rationem compares cum concupiſcentiâ, ſive peccata ex ignoratione inſuperabili facta, cum motibus, quos vocant primò primos, ex concupiſcentiâ ortis: nonne æquabiliter & hæc & illa legi repugnant? cur ergò hæc in peccatis propriè dictis numerantur, non illa? ſi enim in concupiſcentiæ peccatis illis dicant deeſſe vel libertatem, vel voluntarium, vel ſcientiam, cur id quodcumque deeſſe videtur non æquè licet ab Adamo mutuari pro concupiſcentiæ, atque pro ignorationis peccatis?

Ut itàque Tridentino conſentiant Adverſarii, neceſſe eſt cum Auguſtino lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. & lib. de nat. & grat. cap. 67. non aliud agnoſcant propriè verèque dictum peccatum, quam quòd *liberâ . . . voluntate & à ſciente committitur*, ubicumque verò aliquid horum deeſt, fateantur cum eodem lib. 2. contra Julian. cap. 9. quod *jam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum*, ſed nomine magis communi prout *formam tenoremque verborum*, minus propriè dicimus linguam, quòd pluribus ipſemet ſanctiſſimus Doctor exponit locis jam allatis.

Perturbant igitur Adverſarii uſitatam pridem & probatam peccatorum diviſionem, dum in numero præcipuorum peccatorum reponunt quædam, quæ propriè peccata non ſunt; quamvis rectè vulgari quodam nomine appellentur peccata.

AR-

ARTICULUS VI.

Comparatur ignorantia insuperabilis juris naturalis, cum ignorantiâ insuperabili juris positivi.

20. NOn inficiabuntur credo, Adversarii concupiscentiam insuperabilem liberare à peccato. Certè fatentur ignorationem insuperabilem juris positivi liberare: at cur non æque illa liberat quæ est juris naturæ? nam hæc vel libertati vel voluntario æquè repugnat, sed de hoc plenius dum ea, quæ Adversarii opponunt, erunt refutanda. Intereà oro, ut ad hoc Adversarii diligenter animum advertant: quando concupiscentiæ vis & impetus tantus est, ut excuset à peccato propriè dicto, tunc non refert, naturæ, an juris positivi lex violetur: sive enim impellente concupiscentiâ fiat contrà jus naturæ, sive fiat contrà jus positivum, æquabiliter utraque transgressio manet immunis à culpâ & pœnâ, si modo impulsus tantus sit, ut libertati & voluntario officiat. Quid itàque ad rem facit, quale jus infringatur ex ignoratione, si modo hæc talis sit ut non possit voluntarium cum ea componi? cur aliter de ignoratione, quam de concupiscentiâ statuendum, si utraque sit inexpugnabilis?

ARTICULUS VII.

Doctrinam Adversariorum non satis secerni à primâ propositione damnatâ Iansenii.

21. AT quomodò se defendent contrà temerariam, impiam, blasphemam & hæreticam illam propositionem Jansenii: *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires sunt impoßibilia, deest quoque illis gratia, qua poßibilia fiant*? Quando enim, quod reipsa est vetitum lege naturæ, non solum ignoratur esse peccatum, sed per errorem insuperabilem judicatur præceptum lege charitatis, quæ potest esse facultas non peccandi? an non, utrumvis eligas, reus evadis? atqui possibile non est, ut voluntas neutrum eligat. Vires quoque desunt, ut ab hoc laqueo sese quis expediat: id enim si asseris, jam ignoratio insuperabilis non erit, de qua tamen est sermo. Adversari itaque videtur hujus damnatio dogmatis Doctrinæ illorum, quibuscum nobis contentio est.

AR-

ARTICULUS VIII.

Idem ostenditur de tertiâ propositione Jansenii.

22. NEque minus infensa est Adversariis damnatio tertiæ propositionis Jansenii, quæ sic habet: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Nam D. Thomas 1. 2. qu. 19. art. 6. in præsenti quæstione cum sibi objecisset, quod *talis homo* ignorans scilicet esse malum, quod facere vult, *erit perplexus, & ex necessitate peccabit, quod est inconveniens.* Sic respondet: *nec tamen est homo perplexus: quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis & voluntaria.* Atqui in casu, de quo cum Adversariis disputamus, non potest homo ab errore recedere, estque ignoratio insuperabilis, & nullo modo voluntaria, ergo ex mente Angelici Doctoris manebit perplexus, & ex necessitate peccabit.

ARTICULUS IX.

Non posse de peccato ex ignoratione insuperabili commisso esse veram pœnitentiam aut contritionem.

23. FVit, inquit Trident. sess. 14. cap. 1. *pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria.* Et cap. 4. *contritio, quæ primum locum inter....... pœnitentiæ actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso.*

Exigit itaque concilium dolorem de peccato commisso, & hæc vocatur proprio nomine pœnitentia, quia ut S. Augustinus (vel quisquis est author) de verâ & falsâ pœnitent. cap. 19. testatur, est pœnitentia, quasi pœnæ tenentia: quia videlicet is, qui se peccato quopiam inquinavit, factus suæ accusator improbitatis pœnam à seipso repetit.

Aliter proinde de flagitiis nostris, aliter de fortuitis malis dolemus. Illis supplicium, his solatium potius debetur. Qui illa perpetravit, vocatur reus; qui hæc patitur, censetur infelix. Rei vox est, *mea culpa, mea maxima culpa*; infelicis verò, *vacare culpa magnum est solatum.* Reum culpæ pœnitet: infelix de casu adverso, non de peccato commisso dolet. Reus, veniam postulat; infelix, opem. Porrò ad gratiam & justitiam assequendam necessarius est *dolor ac detestatio....... de*

peccato

peccato commisso, sive pœnitentia vera.

Jam verò, quæ poterit esse pœnitentia aut contritio illius, qui contrà legem fecerit ex ignoratione insuperabili? profectò, quoad ignoratione illâ manet involutus, fieri non potest, ut de peccato commisso doleat. Nam cum teste D. Thomâ par. 3. qu. 85. art. 1. pœnitentia sit in voluntate sita, & hæc nequeat ferri in incognitum, patet nullum posse dolorem esse de peccato non cognito.

Superest igitur illud tempus, quando ab ignoratione illâ erit liberatus. Judicabit tunc quidem, quid faciendum fuisset, si non ignorasset, at quod ignorationis tempore peccaverit, judicare nequaquam poterit. Manebit enim mens semper conscia, non malæ, imò fortassis optimæ, quam id temporis habuit, voluntatis moriendi potius, quam peccandi. Quomodò ergò judicabit, se tum peccasse? Non enim peccatur voluntate bonâ, sed malâ. Qui voluntatem habuit hominis non occidendi, si tamen inscius hominem pro ferâ occiderit, poteritne is postmodum de errore suo edoctus, judicare se voluntatem habuisse hominem occidendi? Poteritne se reum homicidii existimare? Si igitur neque homicidii neque alterius peccati malâ voluntate commissi conscius sibi esse non potest, quomodò in voluntate poterit esse pœnitentia, aut dolor de peccato commisso? Quomodò dolebo, quod voluntate malâ emerim censum quempiam, quando deinde cognovero illum juri naturæ repugnare, si tunc,

cum emi, ne suspicari quidem id potuerim?

Nimirum sicut motus, qui vocantur primò primi, etiam subortâ deinde, quæ antè abfuerat libertate, culpæ damnandi non sunt; sic acta ex ignoratione insuperabili, voluntaria fieri numquam possunt, qualiscumque deinde prohibitionis antè non notæ, cognitio succedat.

At quæ tandem esset istiusmodi pœnitentis & dolentis vox? quæ oratio? hæc, arbitror. Mi Deus, feci, quod nî fecissem, tunc equidem judicabam me peccaturum in te. Sed nunc postquam intelligo id repugnare legi tuæ, quod tunc ne suspicari quidem potui, doleo quod non amplexus fuerim, elegerimque partem illam, quâ te offendendum esse judicabam. O! præclaram pœnitentiam! doleo, inquit, quod non decreverim id, quo tunc judicabam te offendendum. Quid, quæso aliud is dicit, quam, pœnitet me, ô! Deus, quod tunc te non offenderim. En ad quam salutarem pœnitentiam ducat doctrina Adversariorum.

Illustremus hunc articulum pulchro sanè Angelici Doctoris loco, qui par. 3. qu. 84. art. 2. ad 3. sic loquitur: *De peccato actuali mortali est pœnitentia propriè & principaliter propriè quidem, quia propriè dicimur pœnitere de his, quæ nostrâ voluntate commisimus, &c. De peccatis autem venialibus, est quidem pœnitentia propriè, in quantum sunt nostrâ voluntate facta: non tamen........ principaliter, &c. De peccato verò originali pœnitentia nec principaliter est,........nec etiam propriè: quia peccatum originale non*

non est nostrâ voluntate peractum, nisi fortè in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apostolus dicit Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt. In quantum tamen large accipitur pœnitentia, pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali: sicut loquitur August. in lib. de pœnitentiâ.* Hactenus Doctor Angelicus.

Quæro igitur ab Adversariis, id quod ipsi volunt esse peccatum, propriâne, an alienâ voluntate sit commissum? si propriâ, fuit igitur voluntas mala peccandi, neque adeò ignoratum peccatum, sed cognitum: si alienâ, jam ex D. Thomæ mente, non datur de illo ulla propriè dicta pœnitentia.

Quia verò novum hoc peccati genus, habet conjunctam conscientiam & voluntatem propriam, quâ studet vitare peccatum; quæ proinde laude potius digna est: idcircò de hoc multò minus, quam de originali peccato, pœnitentia potest dari, imò, ut vidimus, non videtur posse dari, nisi parum pia.

ARTICULUS X.

Nec posse de ejusmodi peccato esse verum propositum emendationis.

24. SAcrosancta Tridentina synodus sess. 14. cap. 4. vult pœnitentiam & contritionem conjungi *cum proposito non peccandi de cetero.* Quod

 verò

verò propositum non peccandi de cetero potest hic inveniri, aut excogitari? An statuet, nihil deinceps ignorare? id arrogantiæ est. An potius ignorationem pellere, quoties lex quæpiam violanda occurret? si ignoratio ipsa sit insuperabilis, id etiam stultitiæ est: an igitur decernet in ipsâ ignoratione, numquam eligere illam partem, quam vetitam esse ignorat? id temeritatis est. An ergò apud animum suum statuet, quoties alterutra pars eligenda erit, semper illam amplecti, quam conscientia id loci & temporis dictat esse malam; veritus scilicet, ne altera pars, quæ licita, imò à Deo præcepta creditur, fortassis vetita sit? id verò impietatis est. Quod verò aliud propositum de vitando ejusmodi peccato afferri possit, quod quidem vitiosum non sit, doceant nos Adversarii: aut fateantur decreto Tridentini satisfieri hic non posse.

ARTICULUS. XI.

Quamvis sæpè meminisse possimus nos fecisse id, quod deinde cognoscimus esse contrà legem, non tamen quemquam meminisse posse, tunc se peccasse contrà legem: si fuerit insuperabilis ignorantia legis: neque adeò veram posse esse ejusmodi peccatorum confessionem.

25. SAtis patet ex iis, quæ diximus, nullam posse esse de istiusmodi peccatis confessionem;

sionem; nullam sui ipsius de iis accusationem. Id quod confirmat Tridentinum sess. 14. cap. 5. ubi statuit necesse esse ut pœnitens *ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse* MEMINERIT. Quæro igitur possitne quis peccaorum ejusmodi meminisse? potestne meminisse contractæ labis originalis? hominis per ignorationem pro ferâ à se interfecti? eorum quæ in somnis, quæ antè acceptum rationis usum, quæ denique neque sciens, neque volens perpetravit? cognoscere illa deinde possit, veluti ex iis, quibus scientibus & spectantibus res actæ fuêre, qui proinde memores sunt; ipse tamen meminisse nullo modo potest. Recordamur scientiæ, quam ex sacrâ Regum historiâ de davide legendo hausimus, temporis tamen illius, quo David illa gessit, memores esse non possumus. Quid ita? quia, cum gererentur, nec vidimus, nec scivimus. Cicero pro Archiâ sic loquitur: *pueritiæ memoriam recordari ultimam.* Quia videlicet eorum quæ antè pueritiam in infantiâ, cum nosipsos ignoramus, gesta sunt non datur in nobis recordatio. Est enim recordatio, quasi veteris cognitionis renovatio.

Eorum igitur, quæ ex ignoratione insuperabili fecimus, meminisse non possumus. Et ut quis memor fiat facti, tamen peccati memor fieri non potest. Peccata igitur hujusmodi, etiam postquam cognoverimus id quod factum est, lege narali vetitum fuisse, confitenda non sunt: neque adeò proprii nominis peccata sunt. Nam hæc, ut

ut ex Augustino suprà didicimus, *à sciente*; fiunt: recordari proinde horum possumus, non illorum.

Non temerè igitur, sed divino consilio pronunciavit Tridentinum confitenda esse illa peccata, quibus quispiam *se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse* MEMINERIT. Quod ille qui ex ignoratione insuperabili contrà legem egit, adeò meminisse non potest, ut ne ullo quidem modo id possit judicare, sicut paulò antè ostendimus.

Mussitare videntur adversarii aliqui, per ignorationem insuperabilem non auferri malitiam peccati, usque eò tamen imminui, ut venialem culpam non superet, hanc tamen ad minimum contrahi. Quod si verum esset, patet iterum ex loco eodem Tridentini, benè quidem non tamen necessariò fore peccata illa confitenda. Verum sequendam omnino existimamus doctrinam Angelici Doctoris, qui 1. 2. qu. 76. art. 4. dicit, quod ignoratio, quæ *totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed aufert.* Itaque quæ ex ignorantiâ insuperabili contrà legem fiunt, neque mortalia, neque venialia peccata sunt; confitenda igitur non sunt.

ARTICULUS XII.

Neque absolutionem, neque satisfactionem veram convenire ejusmodi peccatis.

26. Quæcumque dicta hactenus sunt, roborabuntur non parum per ea, quæ habet Tridentinum sess. 14. cap. 8. ubi rationem tradens, cur per Sacramentum pœnitentiæ non æquè remittatur omnis pœna simul cum culpâ, sicut per Sacramentum baptismi, sic loquitur. *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui antè baptismum per ignorantiam deliquerunt: aliter verò qui*...... SCIENTES *templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* Nimirum ante baptismum per ignorantiam deliquimus, quando ignorantes peccato originali fuimus inquinati, & in Adamo peccavimus. Hoc enim peccatum præcipuè & necessariò per baptismum abluitur. Quamquam in adultis etiam actualia possint conjungi, quæ haud dubiè à scientibus perpetrantur: nisi fortè & illa ignorationi cuidam vincibili adscribere placeat, eò quod homines ut plurimùm, ante baptismum sint minus instructi, minusque periti rerum ad salutem spectantium. Post baptismum verò, jam non ignorantes delinquimus, nec peccamus in Adamo, sed peccamus in nobis ipsis, idque *Scientes* & volentes, sicut ex Augustino jam sæpius didicimus, & hic iterum clarissimis

mis verbis nos docet Tridentina synodus. SCIENTES, inquit, *templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.*

Hæccine dici possunt de eo, qui ex insuperabili ignoratione quidpiam facit contrà legem? qui ne suspicatur quidem periculum esse peccati? qui judicat peccatum fore, violandum templum Dei, & Spiritum sanctum contristandum, si non faciat? dicetúrne de eo, quod sciens, non formidaverit violare templum Dei, & contristare Spiritum sanctum? ibine formidó, ubi nihil in mentem venit, quod possit timeri? ubi omnia esse tuta existimantur? si verò nullus sit peccati timor, potestne coargui timoris salutaris spreti, & proculcati? & tamen peccati timendi scientiam, & timoris salutaris contempti audaciam exigit Tridentinum, ut in sacramento pœnitiæ, quod ibidem cap. 6. dicit esse *ad instar actus judicialis* pœna ad satisfaciendum pro peccato decernatur.

Atqui jam multis ostendimus nullam culpam inesse posse ejusmodi peccatis. Itaque neque culpâ solvendus, neque pœnâ mulctandus est, qui sic contrà legem fecerit. Ex quibus denique patet de peccatis ex insuperabili ignoratione factis, nec contritionem, nec confessionem, nec absolutionem, nec etiam satisfactionem pro iis esse posse; quia re vera proprii nominis peccata non sunt: quod hactenus demonstrare conati sumus, pugnantes pro communi Catholicorum consensione, atque adeò pro maximis Ecclesiæ

Docto-

Doctoribus Augustino & Thomâ. Restat, ut ea, quæ Adversarii opponunt, refellamus.

CAPUT II.

Respondetur Adversariorum argumentationibus.

ARTICULUS I.

An aberret à via & veritate qui ex ignorantiâ insuperabili facit contrà legem.

27. QUicumque ex ignorantiâ insuperabili facit quidpiam contià naturæ jus, ille, ut ratiocinantur Adversarii, deserit viam mandatorum Dei, in quibus sola lex naturalis continetur: atque adeò deserit Christum, qui est *via & veritas.* Quæ enim non ad jus naturale, sed ad factum spectant, *quamvis*, inquiunt, (a) *reipsâ sint veritatis; sunt extrà viam, atque adeò ad eam veritatem non pertinent, sine quâ ad Patrem non pervenitur.*

Sed parum videntur attendere Adversarii. Quando enim Christus dixit Joan. 14. *Ego sum via, & veritas, & vita.* Locutus est præcipuè de cognitione sui, & de fide in se, & in Patrem suum. *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem nisi per me* hoc est, nisi cognoscendo me, & credendo in me.

Sic

(a) *Epist.* §. 12.

Sic enim pergit : *si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis........ non credis, quia ego in Patre &c. qui credit in me &c.* Atqui fatentur Adversarii mysteria fidei in Christum esse juris positivi : certè decalogo non comprehenduntur. Igitur veritas legis positivæ, æquè, imò magis pertinet ad viam & veritatem, de qua loquitur Christus, quam veritas legis naturalis.

Nam quo jure Adversarii dicunt à via illa excludi mandata positiva ? an ille tenet mandatorum viam, qui in lege veteri sabbatum non sanctificat ? qui cæremonias & judiciales leges Dei contemnit ? qui in nova lege præcepta Ecclesiæ transgreditur ? qui ea, quæ Christus præcepit circa Sacramenta, non observat ? Illene in Spiritu & veritate adorat, qui tot Dei & Ecclesiæ mandata audet violare ?

(a) Afferunt hic Adversarii factum Jacobi, qui à veritate non recessit, quamvis cum Lia commiserit adulterium, existimans illam esse Rachelem, quia, inquiunt, *Deus qui Iacobo prohibuit adulterium, non præcepit in tenebris Rachelis notitiam.* An ergò clarâ tantummodò luce cavendum est, ne per ignorantiam contrectemus uxorem, aut rem quamlibet alienam ? Isthuc, inquies, non ago. Sed aio idcircò Jacobum à veritate non recessisse quia facti ignorantiam tantummodò habuit. Si verò quæris, cur ignorantia facti non abducat à veritate, abducat verò ignorantia juris naturæ ? iterum aio : quia *Deus qui Iacobo*, atque adeò

(a) *Epist. ibid.*

adeò hominum generi universo, *prohibuit adulterium*, & quodvis aliud peccatum juri naturæ repugnans, *non præcepit* eidem *in tenebris notitiam Rachelis*, sivè facti. Hæc, ni fallor, est Adversariorum ratiocinatio. Igitur si notitia facti esset à Deo præcepta, per ignorantiam ejus etiam recederetur à veritate. Quæro autem ab Adversariis, an non sit à Deo, imò à naturâ ipsâ præceptum unicuique, non dico, ut ne contrectet rem alienam; sed ut cum eâ, quâ par est, diligentiâ provideat, ne res, quam contrectare vult, aliena sit: ne erret, inquam, in quæstione facti? si enim hoc præceptum non est; cur tam solicitè in hujusmodi quæstione facti, Tobias ille senior, & cæcus de hædo caprarum, quem balantem audiverat, cap.2. *dixit, videte ne fortè furtivus sit?* Auderentne Adversarii dicere, quod Deus in istis oculorum tenebris non præceperit notitiam rei alienæ? Auderentne illum à culpâ liberare, qui deses ac negligens fuerit in ejusmodi quæstione facti indaganda? præcepta igitur est inquisitio, atque adeò notitia facti, & sæpè in tenebris major quam in luce incumbit cura omnia sedulo investigandi. Aut igitur ignorantia facti, si per illam facis id, quod repugnat legi, etiam abducit à veritate, aut ignorantia juris naturæ etiam non abducet. Peccatur enim per utramque contrà præceptum Dei, si utraque vincibilis est: per neutram verò, si neutra vinci potest. Idcircò videlicet Jacobus excusatur à peccato adulterii, quia ignorantia illa facti nec voluntaria fuit, nec

vincibilis: si enim vincibilis & voluntaria fuisset, nullæ tenebræ potuissent Jacobum à culpâ liberare.

A veritate autem & ab eo quod Deus voluit & præcepit, *materialiter* quidem recedit, qui sic inscienter errat, ità enim loquitur D. Thomas, quatenus scilicet informem quamdam posuit materiam peccati, faciendo id quod prohibitum est: non tamen recedit *formaliter*, quia non voluit id facere, quatenus prohibitum est, vel quod sciebat prohibitum esse: nec adeò fecit voluntate malâ, quæ est quasi forma ac vis universa peccati. Legant, si placuerit, Adversarii Angelicum Doctorem 1.2. qu.19. art.5. & 10. ubi pluribus argumentum, in quo versamur, persequitur, absque distinctione ullâ facti, aut juris cujuscumque.

ARTICULUS II.

De differentiâ ignorantiæ juris naturalis, & juris positivi.

28. ET tamen discrimen non unum afferunt Adversari jus naturale inter, & positivũ, ob quod hujus ignoratio, & non illius liberet à culpâ. (a) Illud quidem scriptũ est in cordibus nostris, fixum est & immutabile, interque jura omnia primum obtinet locum: hoc verò pro legislatoris arbitrio persæpè mutatur & tollitur.

Sed

(a) *Epist.* 5.7. & 18.

Sed quid hæc ad rem, cùm æquè voluntarium desit in ignorantia utriusque, sine voluntario autem peccatum esse neutiquam possit, si Augustino & Thomæ credimus?

At homo tamquam consiliarius adesse potest, cum leges positivæ decernuntur. Nec video quid hoc ad rem pertineat, nisi fortè ut is graviori multetur pœnâ, si easdem violet. Sic ut ex hac parte videatur minus accusanda ignoratio juris naturæ.

Quod verò dicunt ignorantiam juris naturæ, esse pœnam peccati, non verò alteram ignorantiam. Neque hinc opus quod sit, potest reddi magis minusve voluntarium. Neque enim motus primò primi non eximuntur à culpâ, quamvis oriantur à concupiscentiâ, quæ est pœna peccati. Sed D. Augustinus censet ignorationem eorum, quæ ad jus positivum spectant, qualia sunt quæ credi debent de Christo nato, etiam esse pœnam peccati. Sic enim habet Epist. 105. *In illis, qui credere noluerunt ignorantia peccatum est; in illis autem, qui non audierunt, nec potuerunt, pœna peccati.* Quid clarius? consonat S. Thomas 1. 2. qu. 10. art. 1. *Si infidelitas*, inquit, *accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœna: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.*

Ex his patet nihil esse dispar in utraque ignoratione, quod quidem Adversariis prodesse possit. Iterum tamen moneo Adversarios, quod

 num. 20.

num.20. notavimus, nihil referre, ut concupiscentia excuset, vel non excuset, an violetur jus scriptum in cordibus nostris, an id quod pro legislatoris arbitrio mutari solet: possitne homo tamquam consiliarius adesse, cum lex decernitur, an non possit adesse: cur igitur de transgressione legis factâ ab ignorante non eodem modo loquuntur?

ARTICULUS III.

Adversarii frustrà recurrunt ad peccatum originale.

29. AT originale peccatum inquiunt, (a) sine voluntate, sine cogitatione contrahitur. Rectè si velint, ità contrahi sine voluntate, propriâ scilicet; ut tamen contrahatur voluntate alienâ. Est enim illud ipsum, quo originale differt ab Actuali: non aliter atque pecus differt ab homine, quod illa sit animal rationis expers, hic verò animal ratione utens, sic videlicet S. Augustinus Epist.105. peccatum omne distribuit, in id, quod contrahitur *reatu originis*, & in id, quod fit *additamento propriæ voluntatis*. Quemadmodum igitur, quia pecus animal est rationis expers, malè quispiam concluderet hominem quoque animal esse, quod rationis particeps non sit: sic Actuale sine cogitatione & voluntate propriâ effici, quia sine hac contrahitur ex alio originale, non nisi absurdè dici videtur posse.

(a) *Epist.* 5.12.

AR-

ARTICULUS IV.

Respondetur de propositione primâ Jansenii damnatâ.

30. Sit, inquiunt, damnata illa propositio; quæ vult Deum impossibilia jubere. (a) At declaratum quoque est nullâ juris ignoratione excusari peccata. Ubi verò id declaratum est? Exhibemus Adversariis testimonium irrefragabile, primam è Jansenianis propositionem damnatam à quâ suprà num. 21. ostendimus doctrinam Adversariorum non satis secerni: cur ipsi pro se simile testimonium non proferunt? Nam obscura quædam, quibus se conantur juvare, refragari illis in 2. parte ostendemus.

At illi non diffitentur rem hanc esse implexam & intricatam: vix aliquid (sic loquitur Epistola §. 12.) *in totâ Theologiâ difficilius.* (b) Proinde exclamandum esse dicunt: *ô altitudo*, &c. Rectè, siquidem veritas illius dogmatis de ignoratione, tam certis signis patefacta à Deo esset, ut dubitandi locus nullus relinqueretur: tunc enim quamvis minimè intelligeremus, quomodò dogma illud à damnatâ propositione differat, credere tamen oporteret, esse discrimen quoddam, & exclamare *ô altitudo!* Tantum verò abest, ut dogmatis illius veritas nobis denunciata sit, ut monimenta omnia contrarium quodammodò evincant,

(a) *Epist.* §. 12. (b) *Epist.* §. 12.

cant, sicut demonstrabitur suis locis.

(a) Queruntur Adversarii, quod Philosophum magis, quam Theologum hic agamus. Ego verò ab illis quæro, quando demonstramus ignorantiam invictam excusare à peccato, ex eo, quod alioquin impossibilia Deus juberet, id quod damnatum esse constat auctoritate irrefragabili: qualem censeant esse illam ratiocinationem? si Theologica sit, quid queruntur? si Philosophicam velint esse, tunc viderint, an aliquid in Augustino, cujus exemplum nobis proponunt, non Philosophicum invenire possint.

(a) *Epist.* §. 12.

ARTICULUS V.

Non benè comparatur doctrina Adversariorum mysterio SS. Trinitatis.

31. AT (inquiunt) (a) *unitatem cum Trinitate, quis componat Philosophus? ità Deus naturæ author, quædam præcepta naturalia constituit, quæ sine periculo nemo temeraverit.*

Hic ego vel ipsorum Adversariorum tribunal non reformido. Fingamus enim tantisper totum ordinem causæ esse inversum. Dixit S. Augustinus, *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.* Fac dixisse; *deputatur ad culpam.* Idem dixit: *Deus impossibilia non jubet.* Dixerit jubere, asseruit item, si desit voluntarium, quod *nullo modo*

(a) *Epist.* §. 12.

modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Asseruerit, quod non ideò desinat esse peccatum. Fac deinde D. Thomam scripsisse, non omne peccatum esse voluntarium; ignorantiam, quæ omnino est involuntaria non excusare à peccato *omnino*, quod tamen tam disertè posuit, sed fac scripsisse, quod excuset solummodò *à tanto.* Denique Pontifices summi non damnarint, sed laudarint hanc propositionem: *aliqua Dei præcepta*, &c. *sunt impoßibilia*, &c.

Si ego tunc nihilominus vellem tueri mordicus sententiam meam, quod ignorantia insuperabilis semper excuset à peccato: in promptu haud dubiè haberent Adversarii, quo me constringerent.

Si enim ignorantibus impossibilia Deus mandare non posset, cur posset alteri ulli? posse autem impossibilia jubere, & à Patribus traditum, & à Pontificibus judicatum est. Potest igitur Deus impossibilia mandare etiam ignaris juris naturæ. Ità illi mecum.

At ego: Quæso Theologum hic agamus, non Philosophum. O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Augustinus Pelagianis Theologiam opposuit. Si quid videatur repugnare rationi, clamemus, *ô! altitudo!* unitatem cum Trinitate quis componat Philosophus? quamvis itaque videar dicere quædam inter se pugnantia, quia tamen non deest mihi omnis authoritas redarguendus non sum, sed exclamandum, *ô! altitudo!*

Ædisserant Adversarii, quid de tali defensione,

 sentiant.

sentiant. Illine acquiescerent? minimè profectò. Et verò acquiescendum non est. Quid si enim heterodoxi, quoties se constrictos vident, eodem utantur defensionis genere? cur igitur Adversarii volunt nos tali eorum defensioni cedere, quam neque in nobis, neque in heterodoxis ferendam esse judicant?

Præthereà cur mihi non liceat æquè sic disputare? unitatem cum Trinitate, quis componat Philosophus? Ità Deus naturæ & universarum rerum auctor, quædam præcepta non tantum naturalia, sed etiam positiva constituit, quæ sine peccato nemo temeraverit. Hæc ratiocinatio, vel tota admittenda est ab Adversariis, vel tota rejicienda. Utrumvis eligant, caussam suam prodent.

ARTICULUS VI.

Quomodò Adversarii dogma suum conentur tueri per doctrinam de necessariis necessitate medii.

32. EN aliud scutum, (*a*) quo conantur Adversarii ictum avertere sed frustrà. Sic tamen ratiocinantur.

Æquè intelligi potest, quod ignorantia juris naturæ non excuset à peccato, quam asseri potest, sicut asseritur à Theologis, cognitionem explicitam quorumdam fidei articulorum esse necessariam

(a) *Epist.* §.12.

necessariam necessitate medii, qui tamen possunt in eluctabili errore ignorari, vel, damnari à Deo infantem, qui nec petere, nec suscipere potuit baptismum.

Responsioni viam aperiat vasquezius in 1. 2. disp. 120. cap. 3. ubi dicit, *accidere posse ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei, etiam eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, ita ut ea ignorare* CULPA NON SIT, vocatque hanc communem sententiam. Et sanè Adversarii quidam non gravatè ni fallor, fatentur ignorantiam ipsam invincibilem juris naturæ peccatum non esse, quamvis asserant peccatum esse, quidquid ex eà contrà legem fit.

Pergat nos plenius instruere Angelicus Doctor 2. 2. q. 10. art. 1. *Respondeo*, inquit, *dicendum, quod infidelitas dupliciter accipi potest. Vno modo secundum puram negationem....... alio modo secundum contrarietatem ad fidem: quâ scilicet aliquis repugnat auditui fidei......... & in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut* IN ILLIS, QUI NIHIL AUDIERUNT DE FIDE, NON HABET RATIONEM PECCATI, SED MAGIS POENÆ; *quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est*. Obiter hic nota, quomodò ignorantia etiam positivorum sit pœna peccati. *Qui autem sic sunt infideles*, inquit S. Doctor, *damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum*, &c. Cum verò

sibi objecisset, quod *nullus peccat in eo, quod vitare non potest, quia omne peccatum est voluntarium .... ergo infidelitas non videtur esse peccatum.* Respondet: *dicendum, quod ratio illa procedit de infidelitate secundum quod importat simplicem negationem.* Nota hic iterum obiter, quantum hæc responsio discrepet ab Adversariorum responsionibus. Sed agamus rem præsentem.

Quæritur an ignorantia juris naturæ, quæ insuperabilis est, excuset à peccato. Negant Adversarii. Nos cum scholis propemodum omnibus dicimus ne mente quidem cogitari posse, quippiam peccatum esse, cui peccati essentia desit, voluntarium scilicet. Philosophari nos clamant Adversarii, non Theologum agere. At philosophamur cum Augustino dicente, *usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Quid tum illi? potest, inquiunt, mente res hæc cogitari. At quo id ostenditur modo? exemplo. At quo? ignorantiæ insuperabilis mysteriorum fidei, quæ necesse est scire necessitate medii. Sed quid demum de hujusmodi mysteriorum ignorantiâ cogitandum est? cogitandum haud dubiè cum D. Thomâ, quod *non habet rationem peccati.* Cogitandum cum eodem quod ideò non habet rationem peccati, quia *nullus peccat in eo, quod vitare non potest, quia omne peccatum est voluntarium.* Exemplum igitur illud, nihil ad rem.

At, inquiunt, illud nitimur hinc concludere, * non ità alienum videri à communi sensu, neque

* *Epist.* §. 12.

Deum idcircò tyrannidis arguendum, quod transgressorem legis naturæ, quam ineluctabili ignoratione non cognoscit, reum statuat peccati, & pænâ afficiat: quandoquidem eum, qui necessario ignorat mysteria illa fidei, sine ullâ tyrannidis notâ, æternum damnet.

Sed ne sic quidem exemplum facit ad rem. Nam qui sic ignorant mysteria fidei, damnantur propter alia peccata, sicut disertè tradit D. Thomas. An itaque rectè probavero, orbatum pedibus sine ulla tyrannidis notá posse à Judice in furcam agi, si hostem fugientem insecutus non sit, quia, qui cœcus est justè in furcam agi potest, si ob alia crimina supplicium illud meritus sit, si v. g. cives voce ad seditionem concitarit? Quid itaque adversariis in exemplo allato potest esse subsidii?

Omittenda hic non est pulcherrima consensio inter illos duos sanctissimos Doctores Augustinum & Thomam. Sicut enim D. Thomas loquens de iis, qui ignorant mysteria fidei, dicit, si ignorantia non sit voluntaria, illos damnari ob alia peccata; sic Augustinus Epist. 105. ad Sixtum, loquens item de illis, qui mysteria fidei ignorabant, dicit, si talis eorum ignorantia non sit, ut noluerint credere, illos ob alia peccata damnari, scilicet ob peccatum originis, vel ob actualia, quæ fiunt *additamento propriæ voluntatis*.

De baptismo vix opus est post hæc respondere. Quis enim non videat infantem, dum suscipere non potest baptismum, non peccare per hoc, quod

quod non baptizetur? quis deinde non videat totam infantis damnationem peccato originis adſcribendam eſſe? nihil enim pœnâ vindicari, puniríve poteſt, niſi peccatum.

Attamen juverit audire Gregorium Nazianzenum differentem Oratione 40. in ſanctum Baptiſma ante medium. Poſtquam enim recenſuiſſet quoſdam, qui culpâ vitioque ſuo baptiſma non accipiunt, tandem de iis, qui, ſicut loquitur, *Facultatem non habent baptiſma accipiendi, vel propter quemdam fortaſſis ſuum ſtuporem, vel propter alias res circumſtantes, quæ nullo modo ſunt iis voluntariæ, ſed potius contra eorum voluntatem*, ſic pronunciat: *ſed illi, quos tertio loco poſuimus, neque honorem accipient, neque punientur à juſto judice. Non quidem, quia per baptiſmum ſignum Chriſti non habent, honorabuntur, at non punientur, quia non fuerunt mali · & propter damnum magis toleratum, quam ſibi ipſis accerſitum.* Ità magnus ille Theologus, & ſanctiſſimus Epiſcopus, & Epiſcopi filius, qui ſicut in officio divino legimus, ſcriptis ſuis *Doctorum hominum, ſanctorumque judicio id aſſecutus eſt, ut nihil in illis, niſi ex veræ pietatis, & Catholicæ Religionis regulâ reperiatur: nemo quidquam jure vocare poſſit in dubium.* Viſum igitur fuit tanti viri teſtimonium non præterire. Quamvis enim quæſtio de pœnâ parvulorum decedentium ſine baptiſmo, ſejuncta ſit à quæſtione noſtrâ: ſunt tamen illa Nazianzeni verba notatu in primis digna; nec omnino extrà rem, quam tractamus.

AR-

ARTICULUS VII.

Respondetur ad id, quod objicitur, de peccatis ab ebrio factis.

33. AD exemplum aliud confugiunt Adversarii. * Homicidium, inquiunt, ab ebrio commissum rectè punitur à lege pœnâ homicidis statutâ, quamvis in ebrietate libertas etiam omnino sit ligata. Quia ignorantia orta ex antecedenti peccato sive originali sive actuali, non excusat peccata inde consequentia.

At cur non perinde contendunt, ea quæ amentes contrà legem agunt, etiam culpâ non vacare? nam si ebrietas contracta est per peccatum actuale, amentia non minus oritur ex peccato originali, imò & nonnumquam ex actuali.

Respondeo igitur neque homicidium ab ebrio commissum, neque ulla posse esse propriè dicta peccata, ex quacumque demum nata sint causâ, si desit illis omnino ratio voluntarii. Unde pulchrè S.Thomas dicit 2. 2. q. 150. a. 4. *Ebrietas habet excusare à peccato, inquantum causat involuntarium per ignorantiam.* Ergò si causat involuntarium omnino, excusat à peccato omnino. Quatenus verò non causat omnino involuntarium, sed relinquit voluntarium, eatenus non excusat, idque tam in peccatis contrà legem positivam habet locum, quam in iis, quæ sunt contrà legem naturæ. Quid enim refert, ut res quæpiam nigra sit, an à

* *Epist. S. 12.*

naturâ

naturâ nigredo illi insita, an fortuito quopiam casu sit adjecta? Sed demus etiam homicidium ab homine perfectissimè ebrio perpetratum posse esse formale peccatum, non orietur id ex eo præcisè, quia à peccato originem ducit, sed quia voluntariè suscepta est ebrietas, cum prævisione homicidii secuturi, vel saltem præviso periculo homicidii. Unde non deest huic peccato personali, voluntarium personale. Quamquam meo judicio rectiùs dices, non inveniri hic malitiam formalem diversam à malitiâ formali voluntatis, quâ suscepta est ebrietas cum illa qualicumque prævisione homicidii. Itàque nihil hic est, quod Adversarios juvet. Neque juvare eos potest judex humanus. Nam Deus non raró excusat à culpâ, quem Judex humanus statuit & præsumit esse reum.

ARTICULUS VIII.

De obduratis itidem respondetur.

34. HIc etiam insultare nobis videntur Adversarii. * Si, inquiunt, ignorantia juris naturæ, quoties vinci non potest, excuset à peccato; ergò quo plura quis admiserit crimina, eò in peccatis admittendis evadet innocentior, eòque felicior erit ejus sors; quia videlicet crescit semper ignorantia: & ità, præsertim in occæcatis, adulteria fient casta, pia, perjuria, justa fratrum odia

* *Epist.* S. 12.

odia, quia qui *in profundum* venerint, *nihil sentiunt*, aut cognoscunt.

Mitto illa, quæ proximo articulo dicta sunt, atque huc aptè transferri possunt. Sicut enim dici fortassis potest, homicidium illud esse *formale* peccatum, quia non deest illi *personali* peccato, voluntarium *personale* in causâ, quando homicidium, aut ejus periculum fuit quoquo modo prævisum: sic dici quoque posset peccata in hoc obduratorum statu commissa non carere suo *personali voluntario* in causâ, dum illa peccandi quasi cæca quædam & effrænis libido prævisa quoquo modo fuit. Sic ut quamvis aliquis hic agnosceret formalia peccata, non tamen inde consequeretur, formale quoque peccatum inveniri in iis, quæ fiunt ex ignoratione insuperabili, quando deest voluntarium personale, sed voluntarium accersendum est à voluntate alienâ Adami, sicut Augustino, si superis placet, præeunte, accersit.* Nos verò censemus nullam in his peccatis esse malitiam diversam ab illa malitiâ voluntatis, quâ est posita causa cæci illius status, cum qualicumque ejus prævisione. Hæc, inquam, pluribus non persequemur.

Sed ut larvam, quæ imperitos & incautos terrere posset, detrahamus illi Adversariorum ratiocinationi: age indulgeamus etiam plura, quam fortassis petunt. Demus quempiam perpetuâ scelerum invicem succedentium serie, eò usque tandem deductum, ut leges omnes tam positivas, quam naturales ignoret, idque errore, qui jam

* *Epist.* 5. 9.

vinc;

vinci amplius non potest. Fierine id possit non disputo: sed cogitemus & demus factum. Is igitur eò devenerit, ut extrà periculum omne peccandi sit: sopita videlicet sit & extincta peccandi facultas ac vis omnis.

§. Huncce hominem innocentem, huncce felicem Adversarii audebunt appellare? qui peccandi facultatem amisit peccando? qui extremum malitiæ omnis gradum non attigit modò, sed etiam prætergressus est? qui in ipso impotentiæ vel stuporis cujusdam statu fædissimâ tot antè perpetratorum criminum colluvie totus conspurcatus & immersus jacet? O! igitur felices ex Adversariorum sententiâ, quotquot vel per amores turpissimos in amentiam prolapsi sunt! vel flagitioso cuipiam sceleri immortui sunt! amiserunt enim peccandi facultatem. Quis non horreat ejusmodi statum, in quo sicuti ad perpetrandum propriè dictum peccatum, sic ad emergendum ex cæno turpissimorum peccatorum desunt quodammodò vires? hoc videlicet est dari *in reprobum sensum*, & suppliciorum omnium gravissimũ. Et tales adhuc Adversariis videbuntur innocentes, & felices? quin etiam innocentes & felices reputant eos, qui jam in æternas pænas per scelera sua prolapsi sunt? sunt enim extrà statum malè merendi.

Sed dici non potest, quod homo mentis compos, dum vivit, in tantam ignorationis caliginem umquam deveniat: Nam universalissima legis & communia principia nullo modo ignorari possunt.

ſunt. Neque adeò ignorabuntur ab iſthoc homine. Decalogi verò præcepta, ſi nudè & ſimpliciter proponantur, non poſſunt diu ſaltem ignorari. Vide de his Vaſquezium in 1.2. diſp. 122. c. 2. iſti verò nullo modo poterunt eſſe ignota, qui pridem eadem ſatis cognovit, & toties voluntate ſceleratâ violavit.

Quin imò vix fieri poſſe videtur, ut leges, præcipuas ſaltem Eccleſiaſticas, quas à puero menti impreſſas tenuit, umquam ignoret. Involuantur igitur iſti ignoratione inſuperabili rerum nonnullarum, at, ut plurimùm erit eorum ignoratio affectata, quâ nolint intelligere, ut benè agant: atque hac de causâ infeliciſſimi ſunt, & graviſſimè peccant. Idque nos docet illud Proverb. 18. *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Contemnere enim eſt nolle intelligere, eſt ignoratio affectata, quæ peccatum auget.

Sed quid ſi ego etiam magis innocentem, magiſque felicem dixero eum, qui accumulando peccata in multarum legum, quas poſitivas vocant ignorationem devenit? an non telum in adverſarios retorſero?

Illud denique oro, ut nos doceant, quo pacto occæcatorum iſtorum hominum adulteria, caſta, fratrum odia, juſta; perjuria, pia appellent. An quidquid non eſt peccatum propriè dictum, id continuò virtutum in numero reponendum erit? Adverſarii ſaltem aliqui fatentur ignorantiam ipſam inſuperabilem juris naturæ culpâ carere. An igitur, ut caſta, ut pia, ut juſta, erit amanda, lau-

 danda,

danda, amplectenda? Sanè Augustinus vocat eam peccatum impropriè dictum: nec immeritò. Si enim virtus esset, fovere imò & accersere eam conveniret.

Si casta sint amentium adulteria, neque enim Adversarii ea negabunt scelere vacare, cur illicitum est amentes ad scelera allicere? si piæ sint illorum blasphemiæ, cur ab eis omni studio avertendi sunt? Procul igitur castimonia ab adulteriis, pietas à blasphemiis, justitia ab odiis, esto perpetrentur sine voluntate malâ, aut liberâ.

ARTICULUS IX.

Adversarios perperam accersere in peccato actuali, rationem voluntarii & liberi, à voluntate Adami.

35. Visi sunt hactenus Adversarii frustrà peccati malitiam ibi asserere, ubi peccati natura deest. Aliter igitur aciem dirigunt. De voluntario & libero requisito nulla jam quæstio. Spectent, inquiunt, hæc ad naturam peccati. At peccato ex ignorantiá insuperabili facto contrà jus naturæ, libera voluntas non deest. Peccatum igitur verum sit, necesse est proferamus verba. *Si autem*, inquiunt, *ei* (hoc est, Augustino) * *objiciatur, eum qui sic peccat carere libertate ad peccandum necessariâ, hoc totum acceptum refert primævæ Adami peccantis libertati.*

Sed nihil facilius, quam impetum hunc per Augustinum penitus infringere; meminerimus

* *Epist.* 5. 9.

eorum

eorum quæ habet Epist. 105. ad Sixtum: *Inexcusabilis est*, inquit, *omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis*. Poteratne Augustinus clarius quid sentiret, eloqui? Ad actuale peccatum, quod ab originali sejungit, non *aliena*, sed *propria* requirit additamentum *voluntatis*.

Recordemur illa etiam quæ dixit lib. 3 de lib. arbitr. cap. 19. & lib. de nat. & grat. c. 67. hic enim tradit, ut quid propriè vocetur peccatum, quod *liberâ voluntate*, & *à sciente* debeat committi. Atque ità ad proprii nominis peccatum tria docet esse necessaria: *scientiam, voluntatem, & libertatem*. Ego verò ab Adversariis quæro, an satis sit, omnia hæc aliena, hoc est, Adami esse, ut quis peccet peccatò propriè dicto? si id satis sit, peccata igitur propriè dicta erunt, motus qui vocantur primò primi, & quidquid infantes aut amentes facient contra legem quampiam naturæ.

Quia verò ab his abhorrent Adversarii, peto edisseri quid tandem ex tribus illis proprium, & non alterius esse debeat?

Si velint ut libertas sit aliena Adami scilicet; voluntarium verò in peccante: quid hoc aliud est, quam si velit quis hominem esse animal animalitate propriâ, & rationalem rationalitate alienâ? Tam enim liberum idem est cum voluntario, siquidem voluntarium liberum sit: quàm rationale idem est cum animali, siquidè animal rationale sit.

Si autem velint libertatem pariter & voluntatem ad Adamum referri: cur non liceat eodem jure scientiam ad Adamum referre? non minus

enim, imò fortè magis scientia conjuncta est cum voluntario, quam cum voluntate libertas, sicut colligi potest ex D. Thomâ supra num. 16. Atque ità Adversarii relabuntur in consectaria primò loco posita.

Quæro præterea: Adamusne habuerit voluntatem liberam adulterii? si ais: adulter igitur fuit Adamus. Si negas, quomodò ab aliquo contrahi potest malitia adulterii, quæ neque voluntate liberâ propriâ, neque alienâ umquam in animum admissa est?

Denique ecquod discrimen erit peccatum originale inter & actuale?

ARTICULUS X.

De excusatione à tanto.

36. TAndem Adversarii nonnihil nobis concedere videntur. Excuset, inquiunt, insuperabilis ignorantia juris naturæ *à tanto*: attamen non excusat à toto. D. Thomæ patrocinium hic sibi conantur accersere.

At D. Thomas nuspiam de ignorantiâ invincibili dixit, * quod excuset *à tanto*, & non *à toto*: neque adeò potuit dicere, quin sibi contradiceret. Nam qui dixit 1.2. q. 19. art. 6. *Manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium tollit rationem boni & mali moralis.* Poteritne ille idem dicere, cum illâ ignorantiâ remanere aliquam rationem boni & mali moralis? remaneret autem,

* *Epist.* §. 13. & 18.

si

& non excusaret à toto. Qui ibidem q. 76. art. 3. dixit, *si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est* INVINCIBILIS, *sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia* OMNINO *excusat à peccato.* Poteftne is dicere, talis ignorantia *non omnino* excusat à peccato, sed excusat solummodò *à tanto*? Qui dixit ibidem art. 4. *Manifestum est autem, quod ignorantia, quæ totaliter à peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit peccatum non minuit, sed aufert.* Poteritne ille idem dicere, quod talis ignorantia non totaliter à peccato excuset? quod peccatum non auferat, sed tantummodò minuat?

De quânam igitur ignorantiâ dicit S. Doctor, quod excuset *à tanto*, & non *à toto*? de ignorantiâ vincibili & consequente, nullo autem modo de ignorantiâ invincibili & antecedente. Recitentur iterum Angelici Doctoris verba 1. 2. q. 76. art. 4. *Illa igitur sola ignorantia potest peccatum minuere, quæ est causa peccati, & tamen totaliter à peccato non excusat.* Si illa sola, ergò ignorantia antecedens, & invincibilis, quæ sic est causa peccati, ut totaliter excuset, sicut suprà vidimus, nequit minuere peccatum, sed, ut suprà loquitur, debet auferre peccatum.

Quod verò S. Doctor verbis proximè allatis agat de ignorantia consequente, patet ex his verbis, quæ habet eodem articulo: *Ignorantia directè & per se . . . . voluntaria . . . . videtur augere voluntarium & peccatum . . . . Quandoque verò ignorantia, quæ est causa peccati.* (Nota, quod jam dicebamus,

manifestum esse, quod intelligat consequentem & vincibilem ignorantiam) *Quandoque*, inquit, *ignorantia, quæ est causa peccati, non est directè voluntaria, sed indirectè, vel per accidens; puta cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem, vel cum aliquis vult bibere vinum immoderatè, ex quo sequitur eum inebriari &c.* loquitur igitur de ignorantiâ indirectè voluntariâ, sive consequente.

Quid porrò de tali ignorantiâ S. Doctor pronuntiat? *& talis ignorantia*, inquit, *diminuit voluntarium, & per consequens peccatum.* Rationem subnectit. *Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum* (per ignorantiam scilicet voluntariam indirectè, sicut jam dixerat) *non potest dici, quod voluntas directè, & per se feratur in peccatum, sed per accidens. Unde ibi est minor contemptus, & per consequens minus peccatum.* An non jam clarè patet, quod ignorantia ut minuat peccatum, & non excuset à toto, debeat esse indirectè & per accidens voluntaria? quod voluntas indirectè & per accidens debeat ferri in peccatum? quod conjunctum habere debeat aliquem quamvis minorem contemptum? Atqui hæc omnia longè absunt ab ignorantiâ antecedente & invincibili. Ergò de solâ ignorantiâ consequente & vincibili dici potest, quod excuset à tanto & non à toto.

Confirmantur hæc ex eadem qu. 76. art. 3. ubi sapientissimus Doctor sic loquitur: *Quia omne peccatum est voluntarium, in tantum ignorantia potest diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium.*

Atqui

Atqui in solâ ignorantiâ vincibili & consequente potest reperiri decrementum, vel incrementum voluntarii. Nam in ignorantia invincibili & antecedente nullum omnino est voluntarium, neque adeò in ea quidquam est, quod possit minui vel augeri. Igitur in solâ ignorantiâ consequente locum habere potest, quod augeat vel diminuat peccatum. Augebit enim si sit affectata, minuet verò, si tantùm sit indirectè voluntaria.

Nimirum æquabiliter procedit peccatum cum voluntario; & hi mutui quasi comites passibus æquis gressum promovent, neque possibile est peccatum sine voluntario alicubi pedem figere: spectat enim voluntarium ad naturam peccati, ut vidimus ex S. Augustino: ergo ubi voluntarium desinit esse, ibi quoque peccatum desinit esse, cessatque simul omne incrementum & decrementum.

Illustremus totam hanc doctrinam pulcherrimo loco ejusdem Angelici Doctoris qu. 3. de malo, art. 8. cujus titulus est: *Vtrum ignorantia excuset peccatum, vel diminuat.* Ad quod sic respondet. *Dicendum, quod cum de ratione peccati sit, quod sit voluntarium, in tantum ignorantia habet excusare peccatum in toto vel in parte, in quantum tollit voluntarium.* Et infrà: *cum ergò aliquis directè vult ignorare, ut à peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum, nec in toto, nec in parte: sed magis auget.... quando autem aliquis indirectè vult ignorare, quia negligit addiscere; vel etiam quando per accidens ignorantiam*

 vult,

vult, dum vult directè vel indirectè aliquid, ad quod ignorantia sequitur, talis ignorantia non totaliter causat involuntarium in actu sequenti: quia actus sequens, ex hoc ipso quod procedit ex ignorantiâ, QUÆ EST VOLUNTARIA, *est quodammodò voluntarius: sed tamen ignorantia præcedens diminuit rationem voluntarii. Minus enim est voluntarius actus, qui ex tali ignorantiâ procedit, quam si scienter talem actum aliquis eligeret absque omni ignorantiâ, & ideò talis ignorantia non excusat actum sequentem* A TOTO, *sed* A TANTO. Advertant quæso animum Adversarii, & intelligant ex D. Thoma, qualis ignorantia non excuset *à toto*, sed *à tanto*: ignorantia scilicet vincibilis & culpabilis & indirectè voluntaria. Simul quoque intelligant, quid paulò infrà pergat dicere de ignorantiâ invincibili, de qua sic loquitur: *Si autem ignorantia nullo prædictorum modorum sit voluntaria, puta cum est invincibilis, & tamen est absque omni inordinatione voluntatis, tunc totaliter facit actum sequentem involuntarium.* Quid clarius?

Optimè autem S. Doctor requirit, ut sit absque omni inordinatione voluntatis, hoc est absque voluntate malâ. Si enim adsit voluntas mala, semper erit peccatum, quamvis etiam actus sequens non repugnaret legi, ut suprà diximus num. 15.

Notandum quoque, quod in illo toto contextu S. Doctor agat tam de ignorantia deformitatis actus, quam de ignorantia circumstantiæ actus, prout expressis verbis significat.

Agit denique de jure naturæ, ut patet ex fornica-

fornicationis exemplo, quod ponit. Sic ut non videam quid Adversarii plus possint exigere, ut fateantur suam doctrinam repugnare placitis Angelici Doctoris.

ARTICULUS XI.

Quomodò Adversarii involuant se obscurâ quadam notione ignorantiæ insuperabilis.

37. NOn videntur posse Adversarii sustinere hanc lucem doctrinæ Angelici Doctoris: (a) itàque ad involutam quamdam notionem invictæ ignorantiæ se retrahunt, quæ paucis evolvenda est. Dicunt ergò tunc ignorantiam esse invincibilem, quando tyrannico imperio nobis peccatum dominatur, juxta illud Joan. 8. *qui facit peccatum, servus est peccati.* Vincibilem verò, quando peccatum per gratiam est ablatum.

Sed inprimis quæro, an sub illo dominata peccati, utraque ignorantia sit invincibilis; juris scilicet naturæ, & juris positivi? si enim utraque invincibilis non est, cur una vinci potest potius, quam altera? Si verò neutra vinci potest: par igitur utriusque erit ratio ad excusandum, vel non excusandum, præsertim cum propter peccati dominatum, adeoque in peccati pœnam neutra vinci possit.

(b) Rursum quæro an in illo statu aliqua ignorantia vinci possit? si affirmes; non igitur ignorantia

(a) *Epist.* §.12. (b) *Epist.* §.12.

rantia ideò insuperabilis est, quia homo sub imperio est peccati. Si neges: ergo nemo tunc poterit peccare ignorando. Felices enimverò, qui gemunt sub dominatu peccati, & feliciores illis, qui per frequentata scelera occœcati sunt! Hi enim, ut suprà vidimus per vincibiles ignorantias augere reatum suum possunt: illi verò minime. Si itaque hos Adversarii felices vocent, cur à nobis illi non vocentur itidem felices?

Sed cur is, qui peccato cuique lethali obnoxius est, non possit æquè ignorationem vincere, quam concupiscentiam? Non poterit ergò sisti peccandi impetus? Poterit, inquis, per gratiam. Sed illam ut existimo, intelligis gratiam, quam peccator nec habet, nec habere potest tempore illo, quo peccat; quantumvis velit & conetur: atque adeò peccatur in eo, quod caveri non potest, & Deus id temporis impossibilia jubet: quæ omnia, repugnant Augustino & decretis pontificum, sicut alibi ostenditur. Si verò fatearis, quod gratia illa tum temporis vel adfuerit peccanti, vel saltem potuerit peccans cooperando alteri gratiæ illam obtinere: jam fatendum simul est, id temporis, quando scilicet peccavit, ignorationem illam superari potuisse.

In quamcumque ergò partem vertatur hæc ignorationis invictæ notio, non patrocinatur Adversariorum causæ, neque videtur ad rem facere.

CA-

CAPUT III.

Quod detur ignoratio juris naturæ, quæ vinci non semper possit.

38. ILla, quæ hactenus pro communi doctrinâ attulimus, ità rationi consentanea sunt, ut Jansenius contrarium suum dogma *arcanum & tremendum* vocaverit: Havermannus verò *nimis durum* visum esse fateatur, sicut retulimus in proœmio. Itaque ut horrorem illum depellant, prorsus aliam tenere viam instituunt. Negant videlicet dari ignorantiam juris naturæ, quæ vincibilis non sit: negant, inquam, sed minimè probant. Nos verò dari ignorationem juris naturæ insuperabilem hoc capite ostendemus, ac deinde sequenti respondebimus iis, quæ Adversarii opponunt.

ARTICULUS I.

A simili probatur assertio.

IN omni scientiâ, quantumvis principia prima ignorari nequeant, ignorari tamen possunt ea, quæ à principiis illis sunt quodammodò remota, & eò majorem dubitandi atque ignorandi causam præbent, quo sunt remotiora. Quid? quod ne dubitandi quidem, aut suspicandi, falsum

falsum esse, quod creditur, locus interdum sit? Adeò hoc manifestum est, ut supervacaneum sit exempla producere. Cur igitur in solâ moralium veritatum scientiâ id locum non habeat?

39. Gratum erit lectori, audire hoc loco sententiam Theologorum recentiorum: hanc ità exponit Gabriel vasquez in 1.2.qu.122.cap.2. *Tria*, inquit, *asserunt. Primum est universalissima legis principia nullo modo unquam ignorari posse, ut expresse notavit S. Thomas loco allegato. Posset quidem aliquis ea non considerare, at verò aliquo modo ea ignorare non posset.*

Alterum est ea, quæ in decalogo expressa sunt, quando occurrunt sine aliquâ circumstantiâ novâ, quæ videri possit excusare à peccato, ignorari non posse, toto vitæ tempore. Dicimus autem quando occurrunt sine aliquâ circumstantiâ. Nam talis circumstantia adjungi potest, ut excusare à culpâ videatur, ac proinde ratione illud ignorantia invincibilis præcepti accidere possit. Hoc pacto aliqui existimaverunt mendacium interdum licere, etiam cum juramento ratione necessitatis imminentis. At verò si sine ullâ circumstantiâ apparenti occurriant; ita sunt hæc præcepta consentanea naturæ, ut statim id quod illis contrarium est peccatum appareat. Quarè licet apud aliquas gentes barbaras aliquid contrà jus naturale licitum olim judicaretur, ut apud Germanos furtum, teste Iulio Cæsare lib. 6. de bello gallico, & apud Lacedæmones adulterium, ut refert Plutarchus in vitâ lycurgi: horum tamen ignorantia culpæ imputabatur. Nam vel semper aliquis timor conscientiæ remansit, vel certè nimiâ peccandi consuetudine

ſuetudine extinctus fuit. Forſan in parvulis, qui ab aliis docentur, pro aliquo tempore aliquorum præceptorum ignorantia contingere poſſet, at toto vitæ tempore non poteſt, quia ſemel aut iterum pulſabit animum fœditas, & turpitudo peccati........ hæc autem ignorantiâ, quæ accidere poteſt ex pravâ conſuetudine peccandi eſt erroris, quâ quis jam adductus eſt ob ſua peccata in eam opinionem, ut credat illud eſſe licitum, quod alias non credebat eſſe: nam, ut diximus, toto vitæ tempore non poteſt accidere talis ignorantia erroris: quarè ſemper imputabitur culpæ, ſi in eâ permaneat, ſiquidem habet principium intelligendi ſe in errore verſari, ſiquidem cum non erat ità pravè affectus, aliter judicabat.

Tertium eſt, concluſionum juris naturalis, quæ obſcuriores ſunt, & magis remotæ, quàm præcepta decalogi, accidere poſſe ignorantiam invincibilem toto vitæ tempore........ hujuſmodi ſunt præcepta contrà delectationem moroſam in materiâ venereâ, unius uxoris, & perpetuitatis matrimonii....... vidi ego ruſticum aliquem, qui pium exiſtimabat ægrotum jam jam moriturum, ne diu dolore mortis detineretur, in alteram partem verſare, ut citius animam exhalaret: nec umquam id ſibi illicitum, imò pium & honeſtum ſemper apparuit, quem ſanè facto ſufficiente examine, mihi perſuaſi ignorantiâ inculpabili laboraſſe.

Hactenus vaſquez cujus teſtimonium putavi proponendum Lectori, quamvis partem ejus ultimam iterum retulerimus ſuprà num. 14.

AR-

ARTICULUS II.

Assertio item probatur ab usu & experientiâ: ejusque causis.

40. QUis enim non videt innumeras quæstiones juris naturæ, quæ de justitiæ legibus, aliisque hujusmodi tractantur, agitari in partem utramque? quis nescit inscitiam & ignorantiam nostram omnium illarum disputationum esse causam? si hæc ipsa, in quâ versamur, quæstio in controversiam à quibusdam vocetur: cujus tamen pars affirmans *manifesta* vocatur à D. Thomâ, ut suprà vidimus: quid mirum si innumeræ aliæ veritates morales minus manifestæ ignorentur? nec etiam post longas altercationes satis percipi possint?

Instar plurium sit exemplum Antiocheni debitoris, quod ex Augustino lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 29. exposuimus hic cap. 1. Ille teste tanto Ecclesiæ Doctore NULLO MODO judicavit *adulterinum concubitum*, qui tamen reipsâ adulterinus erat.

Revocentur hic in memoriam ea, quæ eodem capite 1. supra explicuimus. Sanè ne dubitandi quidem locum sæpe relinqui, etiam usus nos docet. Rusticus ille Vasquezii adeò non suspicabatur nefas esse accelerare mortem homini animam agenti, ut non dubitaret, quin id honestum piumque foret. Audivimus, qui nonnulla in

primâ

primâ ætate facta contra naturæ legem, annos plures confessi non fuerant sacerdoti, quod dicerent sibi ne cogitationem quidem malitiæ incidisse, antequam ab alio ad dubitandum permoti fuissent. Scriptores sapientissimi judicant census personales esse injustos, & illicitos. Credibile tamen est non paucos inveniri, quibus desit ipsa dubitandi facultas, quando tot viros pios & doctos, imò tot Doctores & Præsides in Academiâ Lovaniensi, qui nil nisi severitatem clamant & spirant, vident iisdem passim liberèque utentes. Quis enim, qui hæc videt, dubitare potest de honesto eorum usu, si non longo, ut fit, studio, vel alterius congressu colloquioque in suspicionem aliquam mali devenerit? tot certè tempore, quod antecessit, videtur ille nec causam nec facultatem habuisse, sinistri quidpiam timendi.

Sed age, usus & experientiæ hujus scrutemur causam: hanc nos docet natura ipsa & conditio animorum nostrorum, quâ ab initio conditi sumus. Nam divina sapientia, sicut res ceteras omnes, sic hominem quoque circumscripsit certo *numero, pondere, & mensura*, virium ac facultatum suarum. *Manifestum est autem* (inquit D. Thomas 1. p. qu. 94. ar. 2.......) *quod ex hoc, quod anima est accommodata ad corporis gubernationem & perfectionem secundùm animalem vitam, competit animæ nostræ talis modus intelligendi, qui est per conversionem ad phantasmata.* Atque adeò, ut loquitur ibidem qu. 101. ar. 1. *est........ naturale homini, ut scientiam per sensus acquirat.............. & ideò*

anima

anima unitur corpori, quia indiget eo ad suam propriam operationem. Item art. 2. *Usus*, inquit, *rationis dependet quodammodò ex usu virium sensitivarum........ vires autem sensitivæ sunt virtutes quædam corporalium organorum. Et ideò impeditis eorum organis necesse est, quod eorum actus impediantur: & per consequens rationis usus. In pueris autem est impedimentum harum virium propter nimiam humiditatem cerebri: & ideò in eis non est perfectus usus rationis, sicut nec aliorum membrorum.* Ità D. Thomas.

Ex quibus satis patet, quemadmodum cerebri temperies, & corporeorum organorum, omniumque membrorum vires paulatim perficiuntur, ità & imaginandi, intelligendique vim variam omnino reperiri in ætate hominum tam variâ, tamque variâ corporum habitudine. Crescunt videlicet hæc omnia & perficiuntur, pro ut & robur animi corporisque, rerumque usus ac tractatio crescit. Quapropter S. Thomas sup. qu. 94. art. 3. dicit, quod etiam in statu innocentiæ Adam profecisset, *quantum ad modum sciendi, quia quæ sciebat intellectualiter, scivisset postmodum per experimentum.* Sciebat autem intellectualiter, ut ibidem dicit, *per species à Deo infusas.* Et ut in corpore explicat, sciebat, *omnia illa quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis: quæcumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt.* Idque ut antè docuerat, *ut statim posset alios instruere, & gubernare.* Nam, ut ad 2. ait, *Adam debebat aliquid habere perfectionis, in quantum erat primus homo, quod ceteris hominibus non competit.* Quia ergò

pueri non habuissent illas species infusas, ideircò qu. 101. censet: *quod pueri in statu innocentiæ non nascerentur perfecti in scientiâ, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo vel addiscendo.* Unde concludit, quod in eis fuisset, *nescientia respectu aliquorum.* Non vocat tamen eam ignorantiam, *habuisset enim*, inquit, *scientiam, quæ eis competebat secundum tempus illud.* Dixerat autem, quod *ignorantia est privatio scientiæ, quæ debet haberi pro tempore illo.* Illo verò tempore, ut mox subjungit: *pueri habuissent sufficientem scientiam ad dirigendum eos in operibus justitiæ, in quibus homines diriguntur per universalia principia juris, quam multò plenius tunc habuissent, quam nunc naturaliter habemus, & similiter aliorum universalium principiorum.* Et ibidem art. 2. *Pueri*, inquit, *in statu innocentiæ non habuissent perfectum usum rationis, sicut habituri erant in perfecta ætate. Habuissent autem perfectionem, quam nunc, quantum ad ea, quæ ad eos pertinebant, quantum ad statum illum, sicut & de usu membrorum superius est dictum.* Quin imò idem D. Thomas 3. p. qu. 72. ar. 4. docet præter scientiam beatam & infusam, quæ fuit in Christo, fuisse quoque *in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant.* Et ad 2. dicit quod *oportebat eam perfici etiam secundum comparationem ad phantasmata.*

Advertamus nunc tantisper animum ad hanc Angelici Theologi doctrinam. Si enim primum hominem compares cum posteris ipsius, multa nescissent hi, quæ ipse scivit: fuerunt siquidem

ipsi infusæ species à Deo ad hos instruendos. Res porrò, quas nescissent, fuissent juris naturæ. Nam universè loquitur D. Thomas: & quidem nominatim de scientiâ eorum, quibus dirigi debuissent *in operibus justitiæ*. Et fortassis perpaucæ alterius juris leges in innocentiæ statu fuissent. Jam modus ipse quo acquirere debuissent illam scientiam est inventio & disciplina. Non quærimus autem nec invenimus, nec addiscimus, quæ antè scivimus, sed quæ nescimus. Si verò instrumenta consideres, quibus ad inveniendum & addiscendum uti necesse erat, debuissent id facere *per conversionem ad phantasmata, & usu virium sensitivarum*, quæ sunt, *virtutes quædam corporalium organorum*. Hæc autem organa, non semper æquè ad intelligendum apta fuissent: unde etiam nescientia non rarò oriri debuisset. Adde copiam magistri potuisse deesse, ut discerent. Præterea satis fuisset dirigere se *in operibus justitiæ*, *per universalia principia juris*, quorum scientiam multò plenius tunc habuissent, quam nos nunc habeamus: ex quo colligi videtur posse tum nesciri multa potuisse, quæ *virtualiter existunt in primis principiis*: & quæ *processu temporis* cognosci potuissent: tum nescientiam illam illos liberasse à culpâ, alioquin scientia principiorum universalium non fuisset sufficiens. Denique sicut non quævis ardua, à quovis, quâvis ætate per vires corporis superari potuissent, sic nec quævis à principiis primis remotiora, per aciem mentis indagari potuissent, comparat enim usum mentis in statu illo cum usu membrorum

membrorum Angelicus Doctor. Jam verò si in illo felici innocentiæ statu nescientia ejusmodi fuisset: quantò magis de hoc miserabili naturæ lapsæ statu id dicendum est? Nam ut ait D. Thomas p. 1. q. 101. ar. 2. *aggravatio accidit ex corruptione corporis.* Hinc videlicet crescit nescientia, hinc oritur, difficultas, labor, & multa ignorantia: cujus proh! dolor! usum experientiamque sentimus quotidianam.

ARTICULUS III.

Confirmatur ab absurdo.

41. Si enim non detur insuperabilis ignoratio juris naturæ, necesse erit asserere, in omni quæstione juris naturæ, quæ inter doctissimos & sanctissimos viros, qui etiam in beatorum album sunt relati, imò & inter scholas integras agitata umquam fuit, alterutros diffidentium fuisse mentitos, sive locutos fuisse contrà mentem, & cognitam veritatem: nisi malis fateri illos habuisse ignorantiam voluntariam, & culpæ obnoxiam. Cum verò vel per mendacium, vel per voluntariam illam ignorantiam, in re gravissima toti mundo imponere conati sint, etiam scriptis & editis libris, idque per ignorantiam non qualemcumque, sed quam magno sæpè studio propugnarunt; profectò error ille tam studiose defensus, qui tot hominibus scandalo fuit, non videtur posse liberari à gravi & lethali noxâ, sal-

tem in rebus pluribus. Atqui hæc omnia sunt absurda, ergò & absurdum oportet esse illud, ex quo hæc consequuntur.

ARTICULUS IV.

Idem ostenditur ex eo, quod multarum rerum scientia haberi deberet, quæ nunc non habetur.

42. SI nulla ignoratio juris naturæ sit insuperabilis, poterit quisque ignorantiam suam vincere & habere scientiam nulli erroris periculo expositam. Si enim errori exposita sit, jam error non erit insuperabilis. Loquimur enim de illo, qui omnem diligentiam conatumque adhibuit. Si itaque post operam convenientem adipisci possint homines certam scientiam, cur non liberant humanum genus infinitis disputationibus? Cur tot quæstiones intricatissimas de restituendo, de homicidio, de injustis possessionibus, de plurimis denique rebus hujusmodi, quibus tot ingenia seculis integris insudarunt, non dirimunt? non decidunt?

AR-

ARTICULUS V.

Nostra doctrina declaratur ex ipsâ Adversariorum doctrinâ.

43. FIngamus omnem ignorantiam juris naturæ vinci posse. Jam quæro ab Adversariis, an momento quævis vinci possit? v. g. dubitat quis an census personalis sit licitus. Quæro an statim uno alterove temporis momento quæstionem illam tantâ contentione inter sapientissimos viros, tanto studio examinatam definire possit, & utra pars vera sit, quasi stans pede in uno decernere?

Persuadere mihi nequeo, quod Adversarii in tantâ imbecillitate mentis nostræ post Adami lapsum, tantam nihilominus perscrutandi & intelligendi vim etiam hebeti cuique concessuri sint.

Igitur requiritur mora temporis, requiritur labor, requiritur rationum utrimque occurrentium æstimatio: juxtà illud sap. 9. *corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficilè æstimamus, quæ in terrâ sunt: & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* In illâ igitur morâ temporis, quo multa cogitanda, quo quærendum cum labore, quo per pre-

ces sapientia & Spiritus sanctus est exposcendus, ignorantia insuperabilis erit: vinci enim neutiquam poterit primo quoque tempore.

Jam si illo primo tempore, quo necdum ignorantia vinci potest, decernendum tamen, & in rem deducendum sit, id quod illo tempore conscientia dictat, nonne parendum erit conscientiæ erroneæ insuperabili? an voluntas ferri debebit in id, quod tunc nequaquam cognitum est, sed cognoscetur fortassis horâ aut die proximè sequenti?

Itaque Adversarii ipsi fateri debent certo temporis intervallo dari ignorantiam insuperabilem juris naturæ, de illa igitur quæritur an excuset à peccato.

Sed est, quod prætereà ex Adversariis quæram: an scilicet sapientia illa, hoc est, gratia sine quâ sensus legis & voluntatis divinæ sciri non potest, semper unicuique præstò sit? vel saltem an possit ab unoquoque obtineri, quovis momento temporis, per preces & orationes, ad quas ritè fundendas etiam necessarium Dei auxilium non desit? Si dicant semper unicuique præstò esse, vel quovis temporis momento obtineri posse, jam admittunt gratiam merè sufficientem. Cum enim sic omnis ignorantia vinci possit, certum verò sit plurimas non vinci, constat gratiam illam in iis, qui pergunt laborare ignorantiâ, merè sufficientem fore.

Si verò negent, tunc constat in iis, quibus nec sapientia, nec auxilium sapientiam obtinendi

di adest, inveniri ignorantiam legis & voluntatis divinæ, quam vincere non possint. Datur igitur ignorantia insuperabilis juris divini & naturalis: loquitur enim sacer codex universè: & ratio idem persuadet universè.

Videamus nunc, quidnam Adversarii contrà hæc opponant.

CAPUT IV.

Refelluntur ea, quæ Adversarii contrà dicunt.

ARTICULUS I.

De gratiâ sufficiente.

44. SCholæ Jesuiticæ, (a) inquiunt Adversarii, proprium quasi dogma est, gratia sufficiens omnibus parata, etiam obduratis. Ergò quod quis ignorationem non pellit, vitio ipsi debet verti, adest enim gratia sufficiens, ut pellat. Semper igitur pelli & vinci potest inscientia. Sin minus; dicere debebimus cum Augustino scribente ad vitalem, *gratiam non omnibus dari*: atque adeò Jansenii hæresi adhærere oportebit, & fateri Deum impossibilia jubere. Tum monent ad telum hoc repellendum, nil prodesse vocabula, ut aiunt, barbara, *radicaliter & actualiter*: & quædam alia subnectunt.

Sed facili negotio tota hæc machina subverti-

(a) *Epist.* §. 12.

 tur.

tur. Cedo mihi vel unum Jesuitam, qui dicat gratiam sufficientem ad pellendam inscientiam adesse illi, qui pellere eam non potest, quia insuperabilis est. Si placeat Adversariis, intelligere, quid doceant Jesuitæ, breviter dico, quod doceant semper & ubique adesse auxilium sufficiens ad non peccandum, tunc quando peccatur. Neque id dogma Jesuitis proprium est, sed est Theologorum passim omnium, omnisque ætatis: qui existimant hominem alioqui peccaturum in iis, quæ non posset cavere, & Deum impossibilia jussurum, quæ omnia Augustino aliisque Patribus repugnant, & denique in Jansenio damnata non ita pridem fuêre. Hoc quasi fundamento subruto, corruunt cætera omnia suopte impetu. Nihil igitur attinet illis immorari. Multò minus de vocibus respondendum est.

Si tamen quæram ab Adversariis, an amentes obligentur ad mandatorum observationem *radicaliter*? an *actualiter*? an nullo modo? fortassis reponent quidpiam, quod de ignorantibus sine culpâ dici poterit, quibuscumque tandem vocibus responderint Adversarii.

Cæterum viri sanctissimi & sapientissimi, qui vocabulis barbaris usi fuêre, inter quos S. Augustinus lib. de corrept. & gratiâ cap. 11. utitur voce hac, *concupiscentialiter*, & alibi aliis, imò in Enchiridio cap. 68. usus est illâ ipsâ voce, *radicaliter*, super quâ tamen *nauseat* Adversariorum *anima*, tamquam *super cibo levissimo*. Augustinus, inquam, aliique Patres ac Doctores, quin & ipsa sacratissima

Trias

Trias, quæ voluit hujuſmodi vocibus potiùs, quam venuſtis illis & exquiſitis ſenſa ſua divina Eccleſiæ declarari, defenſione meâ non indigent. Quamquam exiſtimandum eſt Adverſarios noluiſſe *actualiter* aut *formaliter* de ſcriptoribus toto orbe celeberrimis minus honorificè loqui, imò ne *radicaliter* quidem. Ad ſummum videri poſſint *materialiter* cauſam dediſſe, ob quam aliquis fortè credat Doctores immortali famâ conſpicuos, minori tamen apud Adverſarios in pretio haberi.

Dabunt tamen Adverſarii hanc mihi veniam, non ut ſe, quod abſit, ſed ut hæreticos, communes hoſtes obiter hic perſtringam. Nam ſanctiſſimos juxtà ac doctiſſimos Scriptores, ipſaque Eccleſiæ lumina eo nomine ab illis deſpici & irrideri ſolitos accepimus. Sicut enim palato malè affecto victus parabilis & minimè exquiſitus, ſic ægris eorum mentibus vocabula illa duriora quodammodò & aſperiora deſipiebant. Quamquam non tam vocabula, quam res aptè per illa ſignificatæ diſplicebant. Nimirum ſentiebant ſe illis tamquam ferreis quibuſdam compedibus conſtringi. Igitur quà jocis, quà diris non ſine faſtu ac ſupercilio hæretico Catholicos illos ſcriptores ſibi infeſtiſſimos in invidiam, in contemptionem, in odium adducere conabantur: eò uſque ut omnem ferè dialecticam ac philoſophiam, non aliter atque ſcelerati vincula duraſque catenas exoſam haberent. Ipſi verò in ſuis libris, non latini tantum, ſed etiam vernaculi ſermonis comptum quemdam, politumque nitorem ſectabantur, quò

virulenta dogmata, hujusmodi fuco oblita, avidius ab incautis mentibus haurirentur. Sed numquam cessarunt Catholici, pestes illas humani generis, iis ipsis disputandi formulis, quas videbant tantoperè timeri, magis ac magis urgere, coërcere, atque convincere. Vox illa *transsubstantiatio*, quam hæreticis exosa; quam fatalis fuit! Quam invitis, imò reluctantibus animis legerunt voces illas, *finalis*, *meritoria*, *instrumentalis*, *formalis*, &c. Quibus Tridentini Patres Sess. 6. cap. 7. & brevissimè & aptissimè distinxerunt, explicaruntque causas justificationis nostræ! Sed quid necesse est hisce diutius immorari? Mittamus hæreticos, ac nos iterum ad nostros Adversarios convertamus.

ARTICULUS II.

Quid Adversarii dicant de Sanctis viris, qui ignorantiâ lapsi aliquando fuerunt.

45. ARticulo tertio * proximi capitis ostendere conati sumus dari nonnumquam ignorationem insuperabilem juris naturæ, quod consequens alioquin esset Sanctissimos viros mendacii aut peccati reos habendos esse. Hanc nostram illationem variè coarguunt Adversarii.

Nam ut aiunt, SS. Patres Clemens Alexandrinus,

* *Epist.* 5. 13.

drinus, Chrysostomus, & Hieronymus (qui tamen sententiam mutavit) defenderunt mendacia officiosa, quæ damnabantur ab Ambrosio, Augustino; aliisque: & tamen mentiti non sunt. Non enim omnis qui aliquid falsi dicit, mentitur. Fatentur nihilominus Doctores sic errantes peccato non vacare, tali scilicet, de quali loquitur Joannes Apostolus, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*, &c. & David, *ab occultis meis*, &c. Censent videlicet peccata illa levia fuisse. Deinde exclamant blasphemum esse dicere nullam dari ignorationem juris naturæ, habere quemquam scientiam infallibilem, & ex eâ posse decidere quæstiones juris naturæ: tot denique Sanctos, imò alterutros eorum, qui nunc disputant, an detur ignoratio insuperabilis, vel an liberet à peccato, damnare mendacii, &c.

Sed si ex Adversariorum dogmate consectaria enascantur; quæ videantur esse blasphema, id certè non nobis, sed dogmati ipsi adscribendum est. Quod autem illa enascantur, res ipsa loquitur.

Ac primùm quidem certum est, quod non omnis qui aliquid falsi dicit, mentiatur, nam mentiri est dicere quidpiam contrà mentem, sive contrà quàm judicet loquens. Asserimus itaque consequens esse, quod Sancti illi Patres, de quibus proximè egimus, & alterutri eorum, qui in hac controversiâ de ignorantiâ juris naturæ decertant, mentiti sint, vel certè quod alterius peccati haud minoris fortasse rei sint habendi: asserimus,

inquam,

inquam, id consequens esse, si Adversariorum dogma verum sit.

Rem ipsam inspiciamus. Nam in omni quæstione juris naturæ unusquisque ex Adversariorum sententia, vel reipsâ scit à quâ parte stet veritas, vel id scire negligit aut non vult. Inter duo hæc non datur apud illos medium, tollunt enim id, quod inter utrumque quasi in medio constituitur à nobis, videlicet *non posse scire.* Si enim non posset scire, esset ignorantia insuperabilis, quam negant dari. Itàque ille, qui in quæstione juris naturæ illam partem tuetur, quæ vera non est, vel scit illam veram non esse, & tunc mentitur: vel id scire neglexit, quod socordiæ est, aut scire noluit, quod malitiæ tribuendum.

Poterit quidem fateor vel mendacium illud, vel socordia tam leve peccatum esse, ut censeri possit inter illa, de quibus loquitur Joannes, *si dixerimus &c.* attamen non videtur liberari posse à gravi peccato quisquis hujusmodi vel mendacii, vel socordiæ, vel potius malitiæ reus erit, evulgando dogmata perniciosa: sic ut nihil in vitâ majori contentione aut studio agat.

Jansenii Iprensis dogmata damnare necesse est, quæ à S. Sede damnata sunt: ipsam verò personam damnare nec volumus nec possumus. Viderint verò Adversarii, quomodò à gravi noxâ ipsum possint eximere; qui ex Summorum Pontificum sententiâ tradidit dogmata falsa & hæretica idque etiam contra jus naturæ, ut aliqui probabiliter censent. Nam prima quidem propositio damnata,

damnata, nisi videtur hac quæstione: an hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, possint impossibilia præcipi; sic ut desit quoque illis gratia aut facultas, quâ præcepta illa possibilia fiant? quæ quæstio, ni fallor, est juris naturæ. Ad quam cum respondemus, id fieri non posse, neque adeò fieri reipsâ; dicimus illud, *quod*, ut de præcepto & dispensatione loquitur S. Bernardus, *divinâ ità constat, & æternâ ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari.* Constat proinde neque à Deo, neque ab hominibus, salvâ justitiæ naturali jure, præcepta ejusmodi dari posse. Tertia item propositio damnata, ad illam juris naturalis quæstionem videtur spectare: An quis demereri, atque adeò puniri possit, ob id, quod facere necessariò debuit, sic ut à necessitate liber non fuerit, neque cavere illud ullo modo potuerit? Et quidem puniri non posse ejusmodi hominem, neque adeò posse demereri lex ipsa naturalis, animis nostris innata, omnino docet. Hinc Augustinus lib. de duabus animabus dicit: *Nec hic libri obscuri mihi scrutandi erant unde discerent neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant, & in montibus Pastores; & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus universum?* & Cap. 12. *peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis*

iniquitatis est, & infama. Et cap. 18. lib. 3. de libero arbitrio. *An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? si ità est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Ex his, aliisq; satis probari posse videtur, errasse in quæstionibus juris naturæ Jansenium Iprensem. Jam verò non patiuntur Adversarii, ut dicamus illum fortassis laborasse ignoratione insuperabili: laboravit ergò vincibili, & quæ culpâ non vacet. Quomodò autem potest esse culpa levis, ubi res ipsa est tam perniciosa, atque conjuncta cum tanto studio, tantaque deliberatione. Neque juvat ipsum, quod omnia Ecclesiæ judicio subjecerit, si erroribus suis immortuus sit, neque offensionis causam removit. Nam, si vera sint Adversariorum placita, ne invincibilis quidem ignorantia illum excusare potest, quantò minus vincibilis? hæc de Jansenio. Si quis tamen nollet ejus errores pertinere ad jus naturæ. Alia exempla afferri possent.

Benignus verò fuit quispiam ex Adversariis, qui agentes ex ignorantia gravis, docentes levis peccati reos pronunciavit. Quasi verò non majorem perniciem, majusque exitium afferat humano generi dogma pestilens toto orbe vulgatum, quam hominis privatum scelus.

Sed cur queruntur Adversarii, quod dicamus ex eorum placitis sequi, posse unumquemque in quæstionibus juris naturæ sibi comparare scientiam infallibilem? si enim falli potest, fallatur. Errat igitur. Quæro an error ille vincibilis, an invin-

invincibilis sit? si invincibilis; jam deserunt Adversarii causam suam. Si vincibilis, vincat illam, & habebit scientiam nulli errori obnoxiam & infallibilem. Cur igitur in tot controversiis hæremus dubii, & implicati? cur non deciduntur? cur tam acres durant contentiones? An Jansenius Iprensis, & qui cum illo partem non veram defenderunt, noluerunt tunc intelligêre, ut dissidia foverent? viderint Adversarii, quid hic dicant. In communi quidem sententiâ, nihil opus est ad consectaria tam absurda se convertere.

Dicent tamen fortassis aliquid. Sit, inquient, verum quod menti objicitur, non tamen idcircò habet quis infallibilem de re scientiam: ad hanc enim requiritur ille tendendi modus, qui numquam à vero aberrare potest: hic autem sine temeritate mortalibus nequit in plerisque attribui. Rectè: Ergò si ille animum advertat, cognoscere poterit sub simili tendendi modo falli se posse. Erit igitur, cur timeat ne fallatur. Fiet proinde culpæ ac pœnæ reus, quamcumque partem probabili illâ opinione ductus, elegerit, saltem quotiescumque à diversis præceptis, ut fit, in diversa eum agi continget. Semper enim sese exponet periculo peccandi, si fortè fallatur, & à veritate aberret. Quod ne fiat, timere poterit ob fallibilem tendendi modum. Itaque fatendum est vel illum vincendo errorem posse consequi scientiam infallibilem, vel certè hominem necessitate inevitabili pœnæ ac culpæ reum fieri, quod

videtur

videtur secerni non posse à tertiâ propositione Jansenii damnatâ. Viderint Adversarii utrum eligere malint. Nos certè in ejusmodi angustias non inducimur, quando asserimus errores sæpè vincibiles esse. Nam quamvis is, qui prudenti deliberatione, consilioque agit, falleretur, dicimus nihilominus illum à culpâ liberari posse, quod Adversarii negant, dum quid sit contrà jus naturæ.

ARTICULUS III.

De tutiore eligendo.

46. FAtentur tamen Adversarii, * aliquando satis esse perplexum etiam puris & defæcatis mentibus, utrum aliquid bonum sit aut malum: & utrum ad jus naturale pertineat, nec ne: & de his ritè ambigi posse asserunt, seclusâ, etiam superstitione scrupulosâ. Sed, inquiunt, tunc amplectenda est ea pars, quæ *securitati facilè faverit, & qua verum peccati periculum removerit.*

Hic ego primùm quæro, cur in his potius fas sit ambigere, quam in aliis? an quia in his veritas inveniri nequit? jam igitur fateris esse ignorationem, quæ vinci nequeat. Si verò asseras ignorationem vinci posse, cur non vincitur? cur magis una vincenda est, quam altera? An

* *Epist.* 5. 13.

An fortassis quæstio tam difficilis & implexa est, ut non nisi horæ, vel diei spatio illam possim enodare? Jam illo toto tempore ignoratio invincibilis erit. Quid si igitur tunc amplectenda & eligenda sit pars alterutra, nec moras ferat negotium?

Tunc, inquiunt, amplectenda est ea pars, quæ *securitati facilè faverit, & quæ verum peccati periculum removerit.*

Ut ad hæc planè respondeatur; animadvertendum est, quod varii possint esse casus, in quibus quis ambigeret, utra pars vera sit in quæstione juris naturæ. Primo fieri potest, ut altera pars exposita sit periculo transgrediendi legem, altera verò sit omnino tuta. Sic periculum est transgrediendi legem naturæ, si admittas censum personalem: tutum verò est & omnis periculi expers nullum admittere censum personalem. Huc refer casus illos, quando quis ambigeret, liceatne adire militiam, exercere mercaturam, Causidici vel Judicis munus admittere, suscipere dignitatem Ecclesiasticam, præsertim quæ habeat annexam curam animarum. Prævidetur enim periculum, idque satis probabile & certum, committendi aliquot peccata gravia, & multa faciendi contrà leges naturæ, sive imprudenter, sive meditatò. Vitari autem possunt omnia illa pericula, si contineam me in vitâ privatâ, vel si me abdam in religiosum claustrum.

Secundo fieri potest, ut utrimque sit pericu-

lum peccandi. Hinc v. g. video non carere periculo censum personalem: inde vero prævideo, si à familiâ, quam administro rejiciam census personales, quos hactenus possedit, domesticos præ inopiâ in familiam hæreticam concessuros, & in sempiternum exitium prolapsuros. Hic ambigo, utrum periculum præ alio vitandum sit, an transgrediendi legem justitiæ? an caritatis? & (quod fieri potest) utrumque omnibus inter se comparatis, æquè apparet dubium, æquè periculosum. Talis est etiam casus, quem D. Thomas ponit 1.2. qu.19. art.5. de eo, cui ut malum proponitur abstinere à fornicatione. Hoc modo alicui ut malum proponi potest, abstinere à mendacio, ab homicidio, ab eo denique opere, quod alioquin apud alios certum est esse contrà legem, vel disputatur an sit contrà legem. Huc etiam spectat casus, de quo agit D. Thomas ibidem art. 6. in quo homo esset perplexus. Fortassis ad hunc casum revocare etiam aliquis maluerit ea, quæ in primo attulimus de militiâ, mercaturâ, &c. in quibus pericula peccandi videntur esse remota. Cum enim nulli statui hujusmodi pericula desint, numquam satis vitari possunt: redduntque hominem quodammodò perplexum. Retulimus tamen illa ad primum casum, quia in vitâ privatâ v. g. vel monastica longè minora possunt esse pericula peccandi, quam malitiæ.

Denique potest pars illa, quæ contrà legem est ut pia apparere, & altera ut repugnans legi, sicut Vasquezius narrat, supra cap. 1. de rustico,

qui

qui pium putabat, mortem accelerare jamjam morituro, versando ægrum in alteram partem. Poterat quoque idem opinari, quod repugnaret legi naturali caritatis ægrum à doloribus eo modo non liberare.

Nunc respondemus, in casibus primi generis posse eligi partem, quæ periculo vacet: neque tantum posse, sed debere illam eligi si non adsint rationes tanti momenti, ut illam incertitudinem opinionis prudentum Doctorum judicio superent. Estque tunc inprimis cautè procedendum, quando conjunctum est peccandi periculum proximum. At si vera sint placita Adversariorum, semper & universè amplectendum erit, quod tutius apparet, eligendusque status in quo saltem minus rariusque peccandi sit periculum. Quid ni enim ex eorum doctrinâ sic liceat ratiocinari? Lex est naturæ, cordibus nostris inscripta, quod non liceat se exponere periculo peccandi, & quod amplectenda sit illa pars, quæ periculum verum vel etiam majus removet. Atqui in mercaturâ, in malitiâ, in officio Judicis, in beneficiis Ecclesiasticis præsertum duplicibus & curatis, in munerè Magistratuum, Principum & Regum, & divitum, sunt vera & majora pericula peccati, & transgrediendi leges juris naturæ. Itaque vel omnes vel plerique abstinere ab iis muneribus debent, & sese in vitâ privatâ continere. Atque ita Reges nudabuntur suis exercitibus, subsellia judicibus, Ecclesiæ suis prælatis, denique inter homines alius rerum ordo statuendus erit.

Abhorrent ſcio ab his Adverſarii, atque ità abhorrent, ut paſſim aliter ipſimet agant. Videmus enim eos, perinde atque alios, & obtinere cenſus perſonales, & inſtituere permutationes cum beneficiis de perticâ, & dignitates Eccleſiaſticas etiam curatas adeò non vitare, ut eas etiam petant & quærant: Judicum munus exercent, & omnia illa officia in republicâ expetunt, in quibus plurima ſunt peccandi pericula, & quæ etiam Angelicis humeris eſſent formidanda. Adhæc lites acerrimè perſequuntur, in quibus quæſtio eſt juris naturæ, in materiâ v. g. juſtitiæ, & aliâ ſimili. Denique in hujuſmodi innumeris caſibus pericula peccandi non vitant, quæ tamen vitarent, ſi ab officiis, à litibus, & beneficiis, ac permutationibus illis ſe abſtinerent. Itaque Adverſarii hæc conſectaria adeò non probant, ut nec actiones ſuas ex iis dirigant. Quid ergò nobis dicunt, quod amplectenda ſit ea pars, quæ *ſecuritati facilè faverit, & quæ verum peccati periculum removerit?*

Neque juverit hic excuſare ſe per dubium facti, aut juris poſitivi, per periculum proximum & remotum, per periculum per ſe & per accidens. Nam illæ & aliæ ejuſcemodi evaſiones Adverſarios (ſiquidem illorum dogmata vera eſſent) liberare à peccato non poſſunt.

Nam imprimis omnia iſta tam varià, & cum tanto opinionum conflictu in ſcholis explicantur, ut in multis Doctores ab invicem diſſentiant. Et ut omnes conſentirent: falli omnes poſ-

ſunt. Cur itaque in negotio ſalutis æternæ ſequar hominum opinionem, qui errori obnoxii ſunt, ubi poſſum ſecuram viam tenere præeligendo vitam privatam & tenuiorem?

Quamvis verò interveniant aliquæ quæſtiones facti aut juris poſitivi, at interveniunt quoque plurimæ juris naturalis. Quot lites dijudicandæ non ſunt à Judicibus vel Eccleſiaſticis vel ſæcularibus in materiâ juris naturæ? quis neget periculum hic eſſe, aberrandi à veritate, & à juſtitiâ?

Denique tolli nequit illa ſuprema, ut ſic loquar, & maxima quæſtio juris naturæ: an negotia & munia, cum quibus tot conjuncta ſunt pericula errandi tam in facto, quam in utroque jure, naturali ſcilicet & poſitivo, in quibus tam multi, & forte plerique errare ſolent: an, inquam, homo iſta munia non dico quærere & ambire, ſed ſuſcipere poſſit? In hac autem quæſtione juris naturæ tutior pars, ſi Adverſariis credimus, indubitatè eligenda eſt. Nam nec ignoratio propria, nec aliena excuſare poterit, quamvis inſuperabilis ſit, & adhuc multò minus ſi ſit vincibilis. Viderint autem Adverſarii an hæc non ſint onera gravia, quæ ne ipſi quidem digito ſuo movent.

Jam ſi ad ſecundi generis caſus veniamus: non tantùm homo erit in periculo, ſed etiam in neceſſitate peccandi, quia perplexus erit, ut loquitur D. Thomas ſuprà num. 22. nam utramvis partem eligat, exponit ſe periculo peccandi.

Neque iterum illi liberari possunt per ignorantiam insuperabilem, vel quia Adversarii negant eâ excusari peccatum, vel quia illam non dari asserunt. Debebit itaque illam vincere; at quomodò vincet? eligendo, inquiunt, quod securius est. At neutrum securum est: imò par in utroque est periculum. Quid? quod periculum est, ne id, quod judico esse securius, sit contrà legem? exponamne me igitur isti periculo? Neque enim, Adversariorum vestigia si premamus, ulla apparens securitas, ulla qualiscumque ignoratio me liberare potest à culpâ, si legem transgrediar.

Adde quod iisdem rationibus, quibus ipsi concludunt securiorem partem esse tunc amplectendam concludi etiam possit omnium omnino securissimam amplectendam esse, peccabo igitur, quamdiu potero securiorem amplecti, si eam non amplectar.

Sed estne aliquid in omnibus Adversariorum placitis, quod possit securum reddere, quod possit verum peccati periculum removere, præter unam & solam veritatem alterutrius partis quæstionis? ab hac enim si vel sine culpâ aberrem, aberro etiam à Christo, qui veritas est, nec possum pervenire ad patrem, prout Adversarii nobis objecerunt supra cap. 2. art. 1. Igitur certa est quærenda & tenenda veritas, ut ne certò pecces. Si verò agas dubius de veritate, agis cum peccandi periculo, atque adeò peccas: peccat enim etiam assentientibus Adversariis, quisquis periculo

culo peccandi se exponit. Itaque is qui ambigit de veritate in quacumque quæstione juris naturæ, quantumvis implexâ, nihil in alterutram partem statuere poterit; & si statuat, peccabit. Neque refert falsam, an veram partem ignarus arripuerit: nam peccabit, vel quia à veritate aberrat, vel quia, licet veritatem fortuitò quasi invenerit, aberrandi tamen periculo se exposuit. Quod periculum præcavere potuit, vincendo ignorationem, si semper vinci potest: sin minùs, datur ergo ignoratio insuperabilis. Quamvis nec hæc excusare potest.

Et hæc quidem ex Adversariorum mente, quibus nihil securum est, quod non sit speculativè, ut scholæ loquuntur, tutius: imò, quod reipsa verum non sit: quæ quantoperè aberrent à mente D. Thomæ vidimus sæpius. In doctrinâ communi procedi potest viâ omnino securâ & securissimâ, sed hæc aliis ex principiis, & alio modo exponitur. Non est vero hujus loci doctrinam communem pluribus declarare, possunt videri multi qui de eâ scripserunt. Illa, quæ jam dicta sunt, videntur sufficere, ad elidendos Adversariorum conatus.

ARTICULUS IV.

Quid in dubio agendum, & an communis sententia sit dubia.

47. AT inquiunt Adversarii, * ea omnia quæ relata sunt hactenus, dubium saltem relinquunt, an detur ignoratio ulla juris naturæ; & si detur, an excuset à peccato. In negotio verò salutis æternæ, dum occurrit dubium, tutior pars est amplectenda. Atque hic est quasi aries ultimus quo conantur communem doctrinam labefactare.

Verum post ea, quæ proximo articulo diximus, non multis opus est, ut hic aries retundatur. Nam jam, ni fallor, satis superque ostendimus, quod tutior pars in dubio sit amplectenda, id non posse esse verum eo sensu, quem Adversarii ex dogmate suo depromunt: & ea, quæ quotidie videmus ab iis perinde, atque ab aliis fieri, hoc satis demonstrant. Est tamen verum alio sensu in communi doctrinâ.

Quid si verò quispiam ratiocinetur hoc modo: Quod Jansenius asseruit de ignorantiâ juris naturæ, id Lutherus (prout censent plures) asseruit pariter de ignorantiâ juris positivi. Ea igitur omnia, quæ allata sunt, dubium saltem relinquunt, an insuperabilis ignoratio juris positivi excuset à peccato. Ergò

* *Epist.* §. 12. & 18.

severè

ſeverè tutius eligendum eſt, in dubio juris poſitivi æquè, atque in dubio juris naturæ. Quid reſpondebunt Adverſarii? an æquale onus hominibus imponent in utroque jure? an nos ſecuros reddent in dubio juris poſitivi? quâ ratione? nam multi judicant, Lutherum rectius diſputaſſe, quam Janſenium: eò quod conceſſo uno, alterum alteri conſequens eſt. Quâ auctoritate? poſtulo enim auctoritatem, quæ falli non poſſit: alioquin in negotio ſalutis ſecurus non ſum.

Dico itaque, quamdiu ſedes Apoſtolica nihil ſecus in hac controverſiâ ſtatuit, non magis dubium eſſe dari ignorationem inſuperabilem, etiam juris naturalis, eaque excuſari à culpâ eum, qui facit contrà legem, quam dubium ſit, quod liceat militiæ nomen dare, mercimonia exercere, fures morte plectere, quod ſcotus negavit licere in 4. diſt. 15. qu. 3 & denique quam dubia ſint innumera alia, quorum multa nonnulli in dubium revocare conati ſunt: quæ tamen ab Adverſariis noſtris perinde atque ab aliis intrepidè paſſim videmus fieri.

Sed ut ſemel, quod res eſt, breviter dicamus: non mirum eſt quod Adverſarios torqueant ejuſmodi cogitationes, quandoquidem velint nullam ignorationem juris naturæ liberare à culpa: atque adeò ſtatuunt ſemper peccari, non tantum quando *formaliter* & vincibiliter, ſed etiam quando invincibiliter & *materialiter* tantum erratur.

Ignoſcant, oro, Adverſarii Angelico Doctori

qui me docet vocabulis hujusmodi disputare. Non torquerentur autem si adhærerent doctrinæ communi, quam ex D. Augustino & D. Thomâ tradidimus, & quam D. Thomas nominatim habet 1. 2. q. 19. art. 5. & 10. viderent enim quod *materialis* error possit excusare à culpâ, modò *formalis* & vincibilis aut culpabilis non sit. Quia ut artic. 5. loquitur D. Thomas: *dicendum, quod judicium rationis errantis licet non derivetur à Deo, tamen ratio errans judicium suum proponit, ut verum: & per consequens, ut à Deo derivatum, à quo est omnis veritas.* Et infrà. *Quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis & Dei præceptum.* Disputat etiam ibi de eo, cui ut malum proponitur abstinere à fornicatione, atque adeò ratio errans proponit fornicationem, ut præceptum Dei, sicut colligi potest ex articulo toto.

Articulo autem 10. ibidem hæc habet: *voluntas humana tenetur divinæ conformari in volito* FORMALITER *non autem* MATERIALITER. Et iterum: *dicendum quod volitum divinum secundum rationem communem, quale sit scire possumus. Scimus enim, quod Deus, quidquid vult, vult sub ratione boni: & ideò quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinæ, quantum ad rationem voliti. Sed in particulari nescimus, quid Deus velit; & quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati.* En quomodò invincibiliter errans excusatur se conformare voluntati divinæ.

Addit

Addit S. Doctor: *in statu tamen gloriæ omnes videbunt in singulis quæ volent, ordinem eorum ad id, quod Deus circa hoc vult, & ideò non solum* FORMALITER *sed* MATERIALITER *in omnibus suam voluntatem Deo conformabunt.* Hæc Doctor verè Angelicus, qui non distinguit jus naturæ à positivo, sed universe loquitur.

Quia itaque Adversarii volunt id, quod proprium est statui gloriæ transferre ad statum exilii & imbecillitatis nostræ, ut scilicet neque *materialer* neque *formaliter* erremus, ideò se suosque torquent.

At in doctrina communi, quam modo protulimus ex Angelico Doctore, quamvis scoti sententia suprà relata, qua voluit non licere occidere malefactores, nisi quatenus Deus occisionem illorum in scripturâ concessit, esset *materialiter* vera: & idem judicium esto, de aliis similibus quæstionibus: quamvis, inquam, *materialiter* essent veræ quorúmdam sententiæ, non tamen culpæ arguendi essent, qui ex illis res suas & negotia non dirigerent: si modò post conveniens examen judicent contraria principia esse sequenda, tamquam rationi & voluntati Dei conformia. Nam quamvis *materialiter* tum errent, non errabunt *formaliter*, quod in statu miserrimo hujus viæ satis est, ut quis liberetur à culpâ, ut optimè statuit D. Thomas. Sed Adversarii imponunt imbecillitati mortalium regulas & leges, quæ cælitibus solis attribui possunt, ideoque nec ipsimet illas satis servant, ut suprà vidimus.

Con-

Conclusio primæ partis.

48. Constant adhuc, ni fallor, omnia; nullum peccatum propriè dictum perpetrari posse, ubi deest voluntarium, voluntarium esse non posse sine scientiâ, prout D. Thomas illud definit ex Aristotele, Gregorio Nysseno, & Damasceno: neque scientiam neque voluntarium esse posse, ubi est ignoratio insuperabilis. Requiri item additamentum voluntatis propriæ, neque sufficere alienæ, ut quis in seipso peccat, & non in alio: non posse esse veram pœnitentiam de peccatis ex insuperabili ignoratione factis, prout ex Tridentino ostensum est: difficile esse Adversariorum dogmata sejungere à propositionibus damnatis. Dari revera ignorationem juris naturæ nonnumquam insuperabilem, id ex omni aliâ scientiâ, ex ipsâ Adversariorum confessione, ex usu & experientiâ comprobari doctrinam communem ejusque rationes ac principia tradi à duobus clarissimis Ecclesiæ luminibus Augustino & Thomâ.

Prætereà ostensum est quam parvi sint momenti, ea quæ Adversarii contrà hæc opposuerunt: quod in communi doctrina non sit periculum aberrandi à Christo, quod nihil intersit ad præsentem controversiam, jurisne positivi, an naturæ sit ignoratio. Quod horrorem sui dogmatis malè conentur Adversarii lenire adducto mysterio peccati originalis, & SS. Trinitatis; adductisque

adductisque iis, quæ necessitate medii sunt necessaria, nec etiam exemplo ebriorum, aut obduratorum: quod malè accersant in peccato actuali rationem voluntarii, & liberi ab Adamo: quod Angelicus Doctor de ignoratione antecedente & invincibili, non dicat quod excuset *à tanto*, sed quod id dicat tantùm de consequente, de illâ verò dicat quod *omnino* excuset, quod tollat rationem boni & mali. Quod non faciant ad rem quædam alienæ notiones ignorantiæ invincibilis. Quod malè Adversarii intellexerint, & adhibuerint in hac quæstione doctrinam Jesuitarum de gratiâ sufficiente. Quod sanctissimi viri non possint liberari à culpa mendacii perniciosi, vel noxæ haud fortasse levioris, si non detur ignoratio insuperabilis. Quod ne ipsi quidem Adversarii ità semper sequantur tutius, prout sequendum prædicant. Quod non relinquatur ulla causa dubitandi de veritate communis sententiæ, quæ quidem meritò aliquem reddat anxium, aut non satis securum. Quod denique dogma illorum superet vires status hujus mortalis, quodque hominibus præcipiant eam divinæ voluntatis observantiam, quæ non nisi beatis à S. Thoma attribuitur.

Post hæc omnia restat nunc, ut quæ disputavimus hactenus ex ipsis potissimum naturæ principiis, confirmemus auctoritate, vel potius ut sacros codices, sanctos Patres, Doctoresque Scholasticos defendamus contrà Adversarios, qui in partes suas illos conantur pertrahere. Mirabitur for-

fortasse quispiam id audere vel sperare posse Adversarios, qui ea, quæ dicta sunt, probè intellexerit; sperant tamen & quosdam illorum locos nobis objiciunt explicandos. Neque mirum est id ab Adversariis fieri. Nam vix ullum dogma reperitur tam certum, contrà quod aliqui vel rationibus conquisitis, vel auctoritate etiam ipsarum sacrarum paginarum non vereantur pugnare. Videamus igitur quid Adversarii hic agant.



DE

DE PECCATIS IGNORANTIÆ SIVE QUÆSTIO THEOLOGICA AN INSUPERABILIS IGNORATIO JURIS NATURÆ LIBERET A PECCATO.

PARS SECVNDA

De Auctoritate in quâ scriptores varii defenduntur & expediuntur ab Adversariorum interpretationibus, quibus eos conantur in partem negantem pertrahere.

49. QUia infiniti operis foret ex tantâ multitudine voluminum & monumentorum, quæ posteritati à tot sapientissimis Doctoribus relicta sunt, omnia quæ ad rem facere possent congerere, illis me limitibus & terminis continebo, ut præter illa, quæ in epistolâ, de quâ egi in initio quæstionis, objecta sunt, nulla, nisi

forrè

fortè perpauca testimonia explicandi confirmandique causa adducturus sim.

CAPUT I.

De Auctoribus novi dogmatis.

DE hac nova doctrina vel primum orbi ostensa, vel plurimum propagata, gloriantur Lutherus & Calvinus.

Audiatur Lutherus in Gen cap. 12. *Scholastici*, inquit, *invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem. Quæ simpliciter à toto excuset, sic enim loquuntur, id est peccatum prorsus tollat. Hoc si statuamus verum esse, sequitur etiam sine Christo homines salvari, si faciant, quod in se est. Tanta cœcitas est in papæ scholis & ecclesiis.* Et ibidem: *An non vides hic falsam esse istam celebrem scholasticorum sententiam de ignorantiâ invincibili excusante à toto........? Quisquis invincibilem hanc ignorantiam excusationem mereri statuit, evertit scripturam sanctam &c.*

Vix secundam hanc partem ingressi sumus, & ecce statim se prodit communis Scholasticorum Doctorum consensio, adversa infestaque dogmati novo. Cum Scholasticis enim Catholicis, & Papæ scholis sibi rem esse fatetur Lutherus: & quidem de *sententiâ* Scholasticorum *celebri*. Sic ut nostra communisque doctrina tamquam amica Catholicis, & hæreticis inimica, tum quidem celebris & pervulgata esset.

At asseritur id, inquis, teste Hæresiarchâ, fateor. Sed

Sed quamvis perditorum ejuſmodi hominum fides, in ceteris meritò ſuſpecta eſſe poſſit, in dignoſcendis tamen & inſectandis hoſtibus ſuis non facilè aberrant: & verò, quis illum hic falſitatis inſimulavit?

Audiatur poſt Lutherum Calvinus, qui ſcribens in cap. 12. lucæ, Catholicos quodammodò irridens, *quaſi verò*, inquit, *ad repellendum Dei judicium ſufficiat ignorantia clypeus.* Et inſtitutionis cap. 2. n. 44. impreſ. Genev. 1550. *eorum eſt repudianda opinio, qui conſultam malitiam, & pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimium enim experimur, quoties labamur cum bonâ noſtrâ intentione.*

His accedat Hieronymus Zanchius, dignus duorum, quos nominavi diſcipulus. Lib. 1. Tract. Theolog. cap. 12. de ignoratione Dei, Theſi 1. *altera ignorantia*, inquit, *eſt eorum, qui cognoſcere vellent & non poſſunt, atque hanc negant eſſe peccatum, ſed pœnam tantum eſſe peccati contendunt, & à peccato excuſare.* Sed iſtud, inquit, *non eſt conſentaneum ſacris litteris.......... quod enim jam non poſſis, peccato Adæ quod & tuum eſt, quia omnes in eo peccaverunt, factum eſt. Quarè falluntur Scholaſtici, cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideò à peccato excuſant, quia invincibilis eſt, ut loquuntur. Quamquam evincere poſſumus, eam non eſſe ſimpliciter invincibilem, cum voluntarium Adæ peccatum ſit conſecuta.........* Et ibidem ſic loquitur. *Eſt igitur Auguſtinus Patrum omnium nomine patronus noſter in hac cauſâ.*

Nil opus est producere plures hæresiarcharum istorum asseclas: quorum vestigia sequitur & premit Jansenius Iprensis lib.2. de statu nat. lapsæ. *Ignorantia*, inquit, *juris naturæ, quantumvis humanæ potestati invincibilis sit, quia tamen pœna peccati est, quidquid ex illâ cæcitate perperam fit, sine peccato non fit. Nam ut disertis verbis de hac ipsâ dicit Augustinus*, &c. Et iterum cap. 4. *Sed hic gigantea occurrit moles, & ut videtur nodus indissolubilis: qui fieri possit ut ex invincibili ignorantiâ peccatum possit proficisci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet quod neque scit, neque scirè potest*, &c.

Hi sunt parentes hujus fœtus hoc & priore seculo. Hunc cum nonnullis aliis, excepit, strinxit, fovit, amplexatus est singulari cum affectu Joannes Sinnichius in libro, quem vocavit *Saül Exrex.* qui denique etiam negavit, ullam juris naturæ ignorantiam esse invincibilem.

Omnes isti ignorantiam facti excusare videntur, de ignorantiâ tamen juris positivi id negare videtur Lutherus: aliqui tamen judicant illum etiam hic non magnopèrè dissentire à Jansenio: in ceteris mira est consensio.

Jansenius ità agit ac si fundamentum arcani dogmatis sui, quo ad Adamum refert voluntarium peccantis, ipsemet suo marte assecutus fuisset. Hanc gloriam tamen invidet ipsi Chamierus Calvini de grege non infimi nominis hæreticus, qui tom.3. lib.3. cap. 3. extollit & laudat fundamentum illud tamquam à Calvino inventum. Sed utri hæc gloria adscribenda sit, nostrâ parum refert. Quid

Quid his reponunt Adversarii? non omnia, inquiunt, quæ dicuntur & scribuntur ab Hæreticis, sunt hæretica, (*a*) *alioquin nec liceret credere cum ipsis Trinitatis & incarnationis mysteria............ fatentur nobiscum reipsa adesse Christum in Eucharistia, &c. Et cum iis juris naturalis ignorationem penitus peccatum non excusare fatebor perlibenter, neque ullam........ censuram pertimescam..........* Si sententia nostra *grata est heterodoxis, tantò faciliùs ad Ecclesiam Romanam adducentur.* Ita Adversarii.

Mihi non est animus censuras ferre, sed disputare, & disputationem submittere judicio Sedis Apostolicæ. Ceterum quæstio de ignoratione movebatur à Lutheranis & Calvinistis, idque contrà scholas Catholicas. Quæ Lutherani & Calvinistæ asserebant, eadem conjuncta videbantur esse cum perversis hæreticorum dogmatibus. Aliquidne simile est in mysterio Trinitatis & incarnationis? quandonam cum illis fuit de hoc controversia? quid vel ad facultatem, quâ dicimur carere, præcepta servandi, vel ad peccandi necessitatem facit SS. Trinitas, aut Incarnatio verbi? Si quis Arianis sese jungeret in dogmate erroribus illorum affini, id enimverò periculo etiam posset affine videri, præsertim quando dissentirent passim in eo ab hæreticis Catholici.

Quoties Adversarii non clamant semipelagianum esse, si quid à semipelagianis videatur esse assertum, tametsi nusquam ab Ecclesiâ semipela-

 gianismi

(*a*) *Epist.* §. 11.

gianiſmi damnatum ſit? quoties id etiam non clamarunt de iis, quæ certò deinde conſtitit, vel omnino non, vel non malè à ſemipelagianis fuiſſe tradita? ſicut patet ex damnatâ propoſitione 4. & 5. Janſenii. Neque Adverſarii tunc acquieſcebant, ſi quis fortè reponeret, non omnia mala eſſe, quæ ſemipelagiani docuerunt. Cur itaque volunt nos acquieſcere, qui majori jure timemus, ut ipſorum hoc dogma poſſit ſatis ab erroribus ſecerni?

(a) Sed quam ſibi ſpem facere poſſunt Adverſarii heterodoxos facilius ad Eccleſiam Romanam adducendi, ex eo quod ſententia ſua illis ſit grata? non id nos docent monimenta & annales ſeculi ſuperioris ſed unum commemoretur exemplum, idque recentiſſimum.

Grata fuerunt Heterodoxis, *monita ſalutaria B. Virginis ad indiſcretos cultores.* Quis id neſciat? exceperunt illa non modo conſentientibus, ſed etiam applaudentibus animis. Ornarunt eadem ſuis laudibus & commentariis. Curarunt ut pluribus in locis publicam lucem viderent. Tantum verò abeſt ut per monita illa facilius ad Romanam Eccleſiam adducantur heterodoxi, ut potius in ſuis erroribus & in ſuâ audaciâ magis per illa obfirmati fuerint: Papiſtarum, ut vocant, receſſum approbarunt, ad ſeceſſionem majorem hortati ſunt: Deo gratias eò nomine retulerunt, denique tantum non viſi ſunt triumphum parare. ſic videlicet heterodoxi grata ſibi dogmata excipere ſolent.

CA-

(a) *Epiſt.* §. 14.

CAPUT II.

De sacris litteris.

50. SEx locos nobis opposuerunt Adversarii. Duo sunt petiti ex veteri testamento, reliqui quatuor ex novo. De his agemus articulis sequentibus.

Necesse tamen est semel exponere quidnam potissimum totâ hac secundâ parte spectemus: id verò hac ratiocinatione comprehendi potest.

Mysteria prorsus abstrusa & difficilia, credenda non sunt, nisi accedat certa revelatio. Ut patet in mysterio Trinitatis, &c.

Atque mysterium hoc de ignoratione juris naturæ non excusante, est prorsus abstrusum & difficile. Id patet ex iis, quæ diximus in primâ parte, &, ut fatentur Adversarii, (a) *vix aliquid videtur in tota Theologia difficilius.*

Igitur credendum non est, nisi accedat certa revelatio.

Conabimur verò demonstrare, per capita sequentia, adeò non accedere certam revelationem, ut videatur potius doctrina communis à Deo revelata esse. Hæc ratiocinatio semper præ oculis habenda erit.

(a) *Epist.* §. 12.

ARTICULUS I.

De Psal. 24. Vers. 7.

51. PRopheta Regius, sic ibi Deum orat (a): *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Si per ignorantias David intelligat hic quæcumque peccata, sicut vox eadem intelligitur ad Hebr. 9. v. 7. à D. Thomâ lect. 2. aliisque. Tunc locus hic ad rem præsentem parum aut nihil facit. Et verò videturr sic accipi posse: nam pro *ignorantias meas*, Hieronymus vertit: *scelerum meorum ne memineris*, alii *pravaricationum*, *transgressionum* aut *rebellionum*.

Augûstinus autem legit: *delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. Delicta*, inquit Augustinus, *confidentis audaciæ meæ, & ignorantiæ meæ, ne ad vindictam reserves*, &c. Possunt fortassis hæc Augustini verba exponi duobus modis. Vel ut ipsa audacia & ignorantia sint ipsa delicta. Sicut cum dicimus delicta adulteri. Vel ut intelligantur delicta ex audaciâ, & ignorantiâ profecta. Prior expositio videtur conformior vulgatæ nostræ.

Nam propheta in duas partes orationem suam distribuit: in primâ sic orat: *delicta juventutis meæ*, ne memineris. Sed in secundâ parte juxta vulgatam, non *ignorantiæ delicta*, sed *ignorantias* sibi ignosci postulat.

Jam

(a) *Epist.* S. 7.

Jam quæro: quas ignorantias petat oblivione deleri? an invincibiles. At nulla invincibilis ignorantia peccatum est, ne juris naturæ quidem, id ipsi Adversarii satis fatentur, dum dicunt voluntariam ignorantiam, esse peccatum; invincibilem, esse pœnam peccati. (a) Reliquum est igitur, ut David, etiam ipsis Adversariis assentientibus, de solis ignorantiis, quæ vinci possint, ibi locutus sit.

Constabit etiam certò dari ignorantiam invincibilem, si quomodocumque de invincibili davidem egisse velint Adversarii.

Adde quod non minus hic de ignoratione juris positivi sermo sit, quam de juris naturalis. Ita ut sive ignorantiæ ipsæ intelligantur, sive delicta ex iis secuta, propheta inter utrumque jus nihil distinguat.

Sed audienda est ratiocinatio Adversariorum. David, inquiunt, *orat ut ignorantias ejus non meminerit Deus. Non supinam, non crassam, non quæsitam & affectatam ignorantiam dixerit ejus viri, quem Deus se invenisse secundum cor suum profitetur. De illa ergô loquitur, quæ cuilibet etiam justo potest accidere.*

Non difficilis ad hæc est responsio. Nam cuilibet justo possunt accidere ignorantiæ facti, aut juris positivi, aut juris etiam naturalis, quæ vinci possint, & tamen crassæ, quæsitæ, & affectatæ non sint. Vicissim verò ignorantiæ crassæ, quæsitæ & affectatæ non semper sunt

(a) Epist. 5.9.

gravia peccata, quæ justitiam expellant, quando scilicet non violant legem graviter obligantem.

Unde verò constat davidem ibi non esse locutum de ignorantiis crassis, quæsitis & affectatis? inde, inquiunt, quia erat vir *secundum cor Dei*. Potuitne vir ille *secundum cor Dei*, perpetrare duo immania scelera, adulterium & cœdem Vriæ, & non potuit idem habere, vel habuisse ignorantias crassas, quæsitas, & affectatas?

Non est etiam cur repudietur eorum opinio, qui per ignorantias illas intelligunt, ipsum adulterium & cœdem Vriæ; putantque Psalmum hunc factum anno 60. ætatis davidis, & regni ejus 30. cum adulterium factum fuisset anno regni 19. Vocatus verò fuit *vir secundum cor Dei*, quando ad regnum fuit primùm assumptus: idque ideò, quod in inimicos fuerit tam benevolus, sicut censet S. Hilarius in Ps. 53. & S. Bernard. Serm. 34. in cantica.

Quicumque hæc vel mediocri animi attentione consideraverit, facilè videbit nullum hic esse vestigium revelationis de dogmate Adversariorum.

AR-

ARTICULUS II.

De cap. 15. Numer. & 9. ad Hebræos.

52. DEinde ab Adversariis in arenam producitur id quod legitur Num. 15.* *Quòd si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen, &c. offerret vitulum, &c. & dimittetur eis. Quoniam non sponte peccaverunt. Nihilominus offerrent incensum Domino pro se, & pro peccato, atque errore suo, & dimittetur universæ plebi filiorum Israël &c. quoniam culpa est omnis per ignorantiam.* Similia habes Levit. 4. Item illud ad Hebræos 9. ubi narrat Apostolus *veteris Legis Pontificem sacrificium obtulisse pro suâ & populi ignorantiâ.*

Crederés Adversarios non pugnare contrà communem doctrinam, sed contrà fictum quemdam nullique cognitum hostem. Ita tum hic, tum in sequentibus, non tam peccari ex ignoratione juris naturæ insuperabili, quam dari ignorantiæ qualiacumque peccata contendunt. Cum tamen communis doctrina statuat ex ignoratione oriri peccata & gravissima & innumera; imò & ipsam ignorationem sæpissimè esse peccatum.

Audi conclusionem Adversariorum: *per ignorantiam ergò peccabat populus.* At ubinam gentium is est, qui negat populum per ignorantiam peccare? cur non sic concluserunt: per igno-

* *Epist. 5. 7.*

rantiam ergo insuperabilem juris naturæ, peccabat populus?

Sed ipsi non attendentes sic pergunt: *ignorantiam porrò*, inquiunt, *quæ præ se ferre videbatur excusationem, quoniam, ut ait, non sponte peccaverunt.* Quasi verò non possint esse peccata ignorantiæ juris positivi, & facti, quæ præ se ferre videantur excusationem, & in quibus etiam non sponte peccetur.

Et reverà illis locis agitur potissimum vel de peccatis legalibus, eorumque legali expiatione, vel de jure positivo. Imò Abulensis (apud à Lapide in Levit. 4.) de solis mandatis ceremonialibus hic agi putat. Si verò Abulensi non credimus: constat saltem potissimum agi de jure positivo. Nam num. 15. præscribitur mensura libaminum, singulis hostiis; fertur lex de primitiis, jubetur lapidari colligens ligna in Sabbato, jubentur Judæi gestare fimbrias, quæ eos semper admoneant legis; an hæc non spectant ad jus positivum?

Augustinus etiam satis judicat, de vincibili ignoratione in similibus locis agi. Quando lib. de nat. & gratiâ cap. 17. sic loquitur: *Aliud est non curasse scire, quæ negligentia peccata, etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari.*

Ex his colligi potest mens Apostoli ad Hebræ. 9. quamquam D. Thomas de hoc loco lect. 2. ità loquitur: *Pro suâ & populi ignorantiâ. Id est, pro peccatis nostris. Prov. 14. errant, qui operantur malum. Omnis enim malus ignorat, ut habetur 3. Ethicorũ.* D. Thomæ assentiuntur S. Anselmus & alii, qui per

igno-

ignorantiam quodvis peccatum intelligunt: estque hæc expositio conformis verbis illis Levit. 16. *In hac die expiatio erit vestri, atque mundabimini ab omnibus peccatis vestris.*

Expectamus, ut Adversarii ex his concludant: ergò peccata, quæ fiunt ex ignoratione insuperabili juris naturæ non vacant culpâ, quamvis culpâ vacent, quæ ex ignoratione facti, aut juris positivi fiunt. Nisi enim hoc possint conficere, patet nihil esse revelatum.

Quid? quod certa revelatio esse non potest, nisi ubi certò agitur de ignorantiâ invincibili juris naturæ. Dubitant autem ipsi Adversarii, an ulla detur talis ignorantia. Hinc illæ voces: *Si reverà sit aliqua omnino invincibilis.* Et, ut vidimus in proœmio, Havermannus præcisè negat dari. Itaque Adversarii ipsi præcluserunt sibi spem omnē proferendi revelationem de suo dogmate: si non certum habeant, dari ignorationem juris naturæ, quæ invincibilis sit.

ARTICULUS III.

De Lucæ cap. 23. & Ioannis 16.

53. DEpromunt post hęc Adversarii locos duos ex ipso Euangelio; in quorū primo Lucæ 23. dicit Christus * *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* In altero Joan. 16. * *Venit hora, ut qui interficit vos, obsequium se putet præstare Deo.* Sed

* *Epist.* §. 7. * *Epist.* §. 7.

Sed quidnam ignorabant isti interfectores Apostolorum & Christi? an nefas esse hominem occidere sine causâ, & potestate legitimâ? At talem ignorantiam, præsertim tamdiu esse posse, ne nos quidem asserimus. An scelus esse, occidere hominem Deum? id multò minus credibile. Quid igitur ignorabant? Ignorabant, ut opinor Christum esse Deum, ipsum & Apostolos esse justos & innocentes, & plura fortassis hujusmodi. Sed hæc juris positivi vel facti potius sunt: non verò juris naturalis.

Non fuit etiam illa ignorantia invincibilis, sed vincibilis. Imò crassa in plerisque supina & affectata. *O! error horrendus ... O! execrabilis cæcitas!* clamat meritò Augustinus Exposit: in Joannem tract. 93. *Obsequium se putant præstare Deo, interficiendo famulos Dei.* Et ibidem Tract. 89. *qui cum audirent, contempserunt, vel etiam restiterunt, nec tantùm contradicendo, sed & eos à quibus audierunt odiis persequendo.* Quid censent Adversarii? contemnere, resistere, contradicere, an hæc ad ignorantiam crassam spectant?

Confirmantur hæc ex verbis illis Christi Joan. 15. *Quia odio habuerunt me gratis.* In quem locum breviter Theophylactus (interprete Montano) sic ait: *Propter solam malitiam, & nullam aliam causam, natum est hoc odium.* Hinc denique Christus dixit ibidem Joan. 15. *excusationem non habent de peccato suo.*

Deniq; S. Thomas Angelicè, ut solet, de illis loquitur, par. 3. qu. 47. art. 5. *Sciendum tamen,* inquit, *quod*

quod eorum ignorantia non eos excusabat à crimine; quia erat quodammodò ignorantia affectata: videbant enim evidentia signa divinitatis ipsius: sed ex odio & invidia Christi ea pervertebant, & verbis ejus, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt. Et ibidem: *Ad tertium dicendum, quod ignorantia affectata non excuset à culpâ, sed magis videtur culpam aggravare: ostendit enim hominem sic esse affectum ad peccatum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet. Et ideò Iudæi peccaverunt, non solum hominis Christi, sed etiam tamquam Dei Crucifixores.* Ità D. Thomas semper sibi similis.

Videntur hæc non ignorasse ipsi Adversarii, & ideò fortassis nullam invincibilis ignorantiæ juris naturæ mentionem faciunt, sed sic concludunt: *Ex Evangelio ergo deducitur, ignorationem legis stare cum peccato*: Sed nos assequi non potuimus hactenus, quos sibi hostes fingant Adversarii. Quis enim negat ignorationem legis, adde si placet etiam *facti* stare cum peccato, si vincibilis sit?

ARTICULUS IV.

De cap. 12. Lucæ.

54. AFferunt jam Adversarii locum illum Lucæ 12. * quo nihil dicunt esse clarius, nihil manifestius. Reddam verò ego locum magis plenum, quam reddiderint Adversarii. Sic ergò habet:

* *Epist. 5. 7. & 18.*

habet: dixerat Christus: *Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes? dixit autem Dominus: quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram! Beatus ille servus &c. Quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari: veniet Dominus servi illius. in die quâ non sperat, & horâ, quâ nescit & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus* (nota hic obiter duplicem voluntatem, ideòque bis positam) *vapulabit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis.* Ultima hæc modò verba protulerunt Adversarii, cur autem priora etiam dederim mox patebit.

Animadvertendum igitur primo per adventum Domini intelligi isthic adventum Christi judicis. Hoc indicant verba illa: *Et vos similes hominibus exspectantibus, &c. & vos estote parati, quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet.*

Animadvertendum secundò duplicem hic notari Domini istius venturi voluntatem. Una est, quâ Dominus vult se absente familiam rectè, & non male administrari, ut abstineant à rixis, comessationibus &c. Altera voluntas est, quâ vult, ut semper habeant præ oculis adventum Domini,

nec

nec putent Dominum semper fore absentem, sed ut omni tempore habeant omnia parata ad ejus adventum. Ideò dicit *vos estote parati, &c. & non se præparaverit*, &c. *Vos similes hominibus exspectantibus &c.*

Duæ autem illæ voluntates inter se diversæ sunt: nam prima posset esse sine secundâ, si videlicet Dominus semper esset absens futurus secunda verò voluntas Domini haud dubiè propriam quamdam illis imponit necessitatem sic administrandi omnia, prout oculis & aspectu Domini dignum foret, qui semper expectatur.

Vix opus videtur pluribus. Res enim ipsa se evoluit. Quis enim non videt eum, qui cognovit utramque illam voluntatem Domini, & contrà utramque cognitam peccavit, longè majoribus plagis dignum esse, quam alium, qui tantùm cognovit primam voluntatem Domini, & contrà illam solam peccávit, & ignoravit secundam?

Notabat videlicet Christus Judæos, qui cognoscebant vel cognoscere poterant adventum Christi Judicis venturi, & eos longè majoribus suppliciis dignos fore dicebat, quam infideles, qui illum adventum Judicis non sciebant.

Ubi nam, quæso hic revelatum est ignorantiam invincibilem juris naturæ non excusare à peccato? Quid? quod non obscurè indicetur ignorantiam invincibilem excusare? Nam qui non cognovit voluntatem secundam Domini, eatenus excusatur, & propter illam non vapulabit, sed

tantum

tantum vapulabit, quia fecit digna plagis contra primam voluntatem bonæ administrationis. Ideoque non dicit Christus simpliciter, *qui non cognovit, vapulabit paucis.* Nam simpliciter qui non cognovit, nullo modo vapulabit: sed addidit hanc conditionem *qui non cognovit &* simul contrà alteram voluntatem, *fecit digna plagis. Qui autem non cognovit* inquit S. Bonavent. in cap. 12. Lucæ, *per defectum scientiæ, & fecit digna plagis per commissionem culpæ, vapulabit paucis, per mitigationem divinæ sententiæ.*

Sed largiamur hoc etiam Adversariis, quod servus ille vapulare debeat paucis, non quia fecit digna plagis contrà Domini cognitam voluntatem rectæ administrationis: sed quia fecit etiam contrà voluntatem præparationis ad adventum, quam non cognovit, sed ignoravit. An ergò tunc revelatum hic esset ignorationem invincibilem juris naturæ non omnino excusare à peccato? minimè profectò. Nam illa voluntas, quæ ignorata fuit, ne spectat quidem ad jus naturæ. Quamvis enim jus naturæ videatur docere quod cognito Domini adventu, debeant servi ad illum sese dignè præparare. Non tamen jus naturæ docet illam præparationem debere fieri, si Dominus non sciatur venturus. An autem venturus sit spectat ad jus positivum, vel potius ad factum. Quidquid ergo peccatur contrà voluntatem præparationis ad adventum, oritur ex ignorantiâ facti.

Sed tamen fuerit ignorantia juris naturæ (videte, quantum Adversariis largiamur) revelatum-

ne hic est, illam ignorantiam vinci non potuisse? si hoc revelatum non sit, nihil agunt Adversarii. Dico autem servum illum ne paucis quidem debuisse vapulare, si non ignoratio fuerit vincibilis.

Sanè id manifestè conficitur ex iis, quæ disputavimus in parte 1. cap. 2. art. 10. ubi ex mente Angelici Doctoris diximus ignorantiam vincibilem non affectatam excusare à tanto, sed non à toto: ignorantiam vero invincibilem excusare à toto.

Confirmet verò nunc eamdem doctrinam Theophylactus laudatus ab eodem D. Thoma in catena, ubi in hunc locum, quem in manibus habemus, sic scribit: *Hoc obiiciunt aliqui; meritò punitur qui sciens voluntatem Domini non prosequitur. Sed cur punitur ignorans? quia cum ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans, ipse fuit ignorantiæ suæ causa.* Interpres verò Montanus sic Theophylactum inducit loquentem in hoc caput 12. Lucæ. *At sunt, qui quærant: esto, benè puniatur is, qui scit voluntatem Domini, & non facit, qui autem nescit, quarè punitur? eò quòd potuisset etiam ipse discere, & noluit, sed piger fuit, ipse in causa fuit quominus didicerit. Quapropter puniendus est, quod sponte non didicit.* Quid clariùs? quid magis appositè dici poterat? nihil itaque hic revelatum est de ignorantia invincibili juris naturæ non excusante à peccato: sed potius firmata doctrina communis.

ARTICULUS V.

De Capite 15. Ioannis.

55. SUperest ultimus ex Euangelio locus Joannis 15. ubi Christus dicit: * *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Ex hoc loco, inquiunt Adversarii *non obscurè hauritur distinctio inter ignorantiam juris naturæ, & juris positivi, quarum una excuset, altera non excuset.*

Asserunt etiam discrimen inter jus naturale & positivum, quod *positivum à legislatoris merâ voluntate pendeat. Adèoque ipsius cognitio non magis nobis congenita est, quam mysteriorum.* At verò quod *nostris quodammodò mentibus insculpta sit lex naturalis,* &c.

Statuunt præterea, seclusâ Christi prædicatione non *futuros fuisse Iudæos ab omni peccato liberos.* Sed tamen futuros fuisse liberos à peccato *infidelitatis erga ipsum, & incredulitatis ergà incarnationis & redemptionis mysterium.* Rationem addunt: *cum enim cognitio mysteriorum ad legem naturalem non pertineat, nisi exteriùs promulgentur, nec eorum ignoratio peccato vertitur.*

Quomodò verò ex hoc loco hauriatur, quod ignorantia juris naturalis non excuset, & juris positivi excuset, videre ego quidem non possum. Nam cum in isto loco tantùm agatur ipsis Adversariis fatentibus, de peccato incredulitatis ergà mysteria, & cum cognitio mysteriorum ad legem natura-

* *Epist.* S. 7.

naturalem non pertineat: consequens est, ibi tantummodò agi de jure positivo, ob cujus ignorantiam Judæi peccatum non habuissent. Nihil itaque in isto loco dicitur de ignorantiâ juris naturæ, imò ne mentio quidem minima illius fit. Quomodò itaque revelari potest, quod ignorantia juris naturæ non excuset à peccato? Nam quidquid discriminis Adversarii adiecerint inter ius positiuum & naturalè, nihil facit ad rem si modò utriusque ignorantia tollat voluntarium. Deinde de isto discrimine ne verbum quidem est in loco allegato, & nos satis respondimus 1. part. cap. 2. art. 2.

At, inquiunt, habuissent Judæi alia peccata, etiam teste Augustino. Habuerint sanè: sed ubinam Augustinus aut Christus dixit, quod habuissent peccata orta ex insuperàbili ignorantia juris naturæ?

Ego verò ex hoc loco sic contrà Adversarios pugno. Etiam fatentibus ipsis invincibilis ignoratio mysteriorum, & juris positivi liberat à peccato: ergò ignoratio juris naturæ itidem liberat. Nam utraque tollit voluntarium: & ceteræ differentiæ ad naturam peccati nil faciunt.

* Attamen dubium me relinquunt illa verba Adversariorum, quod *cognitio mysteriorum ad legem naturalem non pertineat, nisi exterius promulgentur*. Pertinet igitur cognitio mysteriorum, & quæstionum illarum facti, an Deus sit incarnatus, proditus à Juda. &c. ad legem naturalem, quando exterius promulgantur. Quæro igitur an

* *Epist.* 5. 24.

 cognitio

cognitio istius quæstionis facti, sive Mysterii, quod quinque propositionis in Jansenii libro, eo, quo damnatæ sunt, sensu contineantur, cœperit pertinere ad legem naturalem postquam à Vicario Christi Alexandro VII. id definitum & exterius promulgatum fuit? satis sit id quæsivisse. Considerent Adversarii qui respondendum sit.

Hoc interim maneat in causâ, nihil ex sacris literis productum esse, quo dogma Adversariorum possit videri esse revelatum. Quin imò doctrina communis potius inde confirmata est. Pergamus nunc ad SS. Patres.

CAPUT III.

De S. Augustino.

56. DUo præcipui sunt loci, de quibus nos inter & Adversarios fuit controversia, de quibus totidem articulis agemus.

ARTICULUS I.

De capite 19. libri 1. de libero arbitrio.

IBi in capite ferè medio habentur hæc verba: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare*

ſanare contemnis. Vix poteſt doctrina communis clarius explicari. Sed ut mens magni illius doctoris quaſi oculis inſpici poſſit: dividemus articulum hunc in 4. ſectiones. In 1. conſiderabimus verba jam prolata. In 2. ſeriem dabimus totius ratiocinationis Auguſtinianæ. In 3. confirmabimus omnia ex libro de naturâ & gratiâ, & ex lib. 2. Retractationum. In 4. denique reſpondebimus iis, quæ Adverſarii opponunt.

SECTIO PRIMA.

Conſiderantur verba allata.

IN primis, verba illa: *non tibi deputatur ad culpam*, indicant, quod S. Doctor loquatur de peccato proprii nominis, per quod peccans fit reus culpæ ac pœnæ.

Verba autem illa, *quod invitus ignoras.* Duplici modo exponi poſſent. Poteſt enim vox illa, *quod* referri ad ipſam invitam ignorantiam, ſive ad *ignorare invitum*: tunc ſenſus eſt, ignoratio invita non eſt peccatum propriè dictum. Aliter verò referri poteſt, ad id quod ignoratur: & tunc ſenſus eſt, non vertitur tibi peccato propriè dicto, illud peccatum, quod *invitus ignoras* eſſe peccatum. Poſſet etiam vox illa, *quod*, cauſaliter exponi, hoc modo: *quia invitus ignoras.* Nullo tamen modo, poteſt de ſolâ ipsâ ignorantiâ locus hic explicari.

Id patet ex verbis subjunctis : *sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Manifestum est enim ultimo loco neutiquam posse accipi vocem *quod*, ut referatur ad ipsam ignorantiam, alioquin quærenda esset ipsa ignorantia, quod absurdum est. Non est autem cur voces illæ, *quod ignoras*, in primâ parte aliter accipiantur, quam in secunda.

Hic sensus confirmatur per sequentia verba: *neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Locutus fuerat de iis, qui ex ignorantia agebant contrà legem, nunc loquitur de iis, qui ex concupiscentia agunt contrà legem. Ibi dixerat non deputari ad culpam id quod fit ex ignoratione invita: Hic dicit non deputari ad culpam, quod vulnerata membra non colligis, quando scilicet deest potestas colligendi. Ibi dixerat tunc peccari ex ignorantia, si cum hac conjungitur negligentia. Hic dicit tunc peccari ex concupiscentia, si potestas sanitatis nobis facta est, & eam contemnimus.

Notandum denique, quod S. Doctor cum dicere vellet illud *quod ignoras* non esse peccatum, addiderit *invitus*, dicens, *quod invitus ignoras*. At verò cum agit de ignorantia non excusante, tunc abstinet à voce illa *invitus*, & dicit simpliciter, *quod ignoras*. Si enim invita sive invicta esset ignorantia, numquam non excusaret.

SECTIO

SECTIO II.

Series disputationis S. Augustini hoc loco.

57. Sanctissimus Doctor cum sæpius mentem suam exposuisset, & docuisset nullum posse esse peccatum propriè dictum, sine libertate, sine cognitione, sine voluntario: tandem initio capitis 18. libri 3. jam laudati, quasi tæderet ipsum toties eadem inculcare, sic alloquitur Evodium Manichæum. *Reminiscere superiorum quæ à nobis tam multa de peccato & voluntate liberâ dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevißimum tene. Quæcumq; ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caveat ne fallatur, an tanta fallacia est, ut caveri omninò non poßit? si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem; caveri igitur potest.*

En compendium doctrinæ Augustinianæ. Atqui peccatum quod invincibiliter ignoratur, caveri non potest, exgo ex invincibili ignorantia non possunt esse ulla peccata.

Post hæc S. Doctor occurrit cuidam ratiocinationi, quæ contrà hanc doctrinam poterat opponi, Exprimit illam Augustinus his verbis: *Et tamen per ignorantiam facta quædam improbantur & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus, misericordiam consecutus*

ſum, quia ignorans feci. Ait & propheta: delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Sunt etiam neceßitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt: nam unde ſunt illæ voces, non enim quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago &c.

An non ſimilia Adverſarii nobis obiiciunt? videamus porrò quomodo S. Doctor reſpondeat.

Imprimis ſatis fatetur ignorantiam interdum vinci non poſſe: eò uſque ut pereat facultas liberi arbitrii: ſic enim ait: *nec mirandum eſt, quod vel ignorando non habet arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid recte faciat: vel reſiſtente carnali conſuetudine ..... videat quid rectè faciendum ſit, & velit nec poßit implere.* En ignorantiam invincibilem comparatam, cum invincibili neceſſitate. Loquitur autem universè in toto cap. illo 18 etiam de ignorantia juris naturæ: quod fateri debent Adverſarii, qui locum illum *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas.* &c. nobis objecerunt ut oſtenderent peccari ex ignorantiâ inſuperabili juris naturæ. Ergo ex his conficitur Auguſtinum cenſuiſſe, dari ignorantias invincibiles juris naturæ.

Tum S. Doctor oſtendit ignorantiam & difficultatem non eſſe imputandam naturæ, ſed peccato, cujus eſt pœna. Quia ſi naturæ eſſet imputanda, nullo modo peccata, ne minus propriè quidem dici poſſent, quæ per ignorantiam ſunt facta. Nam, inquit, *ſi non eſt iſta pœna hominis*

hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Fatetur autem Augustinus dari certo sensu peccata ignorantiæ etiam invincibilis, & eatenus assentiri videtur iis, quæ erant objecta.

Sed quia non satis adhuc explicuerat, an ea essent propriè, an tantùm minus propriè dicta peccata, idcircò nascitur nova murmuratio eorum, qui in statu naturæ lapsæ putabant se propriè peccare & damnari, quamvis nullo modo ignorantiam & difficultatem cavere aut vincere possent. *Hic occurrit illa quæstio* (ait S. Doctor) *quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam se accusare parati sunt.* Notandum hic obiter, quod defensores doctrinæ communis, parati sint accusare se, voluntatemque suam potius, quam quodlibet aliud, quoties culpæ rei sunt. Sed Adversarii Adamum accusant libertati & voluntati ejus imputantes sua peccata, quæ volunt fieri ex ignorantia insuperabili.

Pergit Augustinus. *Dicunt enim*, inquit, *si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus, nescientes quid* nobis esset faciendum. En ignorantiam: *deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio quâ necessitate non valeremus.* En difficultatem. Obiter iterum nota non tam de ignorantia ipsa hic agi, quam de iis quæ ex ignorantia fiunt.

Ad murmurationem verò ipſam, ſi Auguſtinus non fuiſſet alienus à dogmate Adverſariorum, in promptu habebat reſponſionem. Debuiſſet enim reſpondere veriſſimum eſſe, quod errarent, & peccarent propriè neſcientes etiam invincibili errore juris naturæ. Debuiſſet componere eorum animos per altitudinem judiciorum Dei, &c. Sed Sanctiſſimus Doctor aliter planè reſpondet, & procedit per viam communis doctrinæ.

Oſtendit enim primùm: quod querela illa ſit injuſta, quando ignorantia & difficultas eſt vincibilis. Deinde docet, ſi vinci nequeat difficultas & ignorantia, tunc non niſi minus propriè dici peccata: ſicuti effectus ſortitur interdum nomen ſuæ cauſæ.

Accipe reſponſionis partem primam, *quibus*, inquit, *breviter reſpondetur, ut quieſcant, & adverſus Deum murmurare deſiſtant: rectè enim fortaſſis quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret.* Ergò in dogmate Adverſariorum, qui docent fieri propriè dicta peccata etiam tunc quando homo nequit erroris & ignorantiæ victor exiſtere rècta & juſta eſſet illa querela. Idcircò Auguſtinus, alienus videlicet à dogmate Adverſariorum, ut injuſtam eſſe querelam oſtendat, id unum reponit, quod ignorantiæ homo poſſit victor exiſtere, & poſtquam modos atque adminicula, quibus homo vincere illam poſſit, enumeraverat, tandem concludit, & affert illa celeberrima verba: *non tibi deputatur*

ad-

ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Et mox subjungit: *ista tua propria peccata sunt.*

Alteram partem responsionis in casu, quo ignorantia & difficultas est invincibilis, sic exponit: *Nam illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod recte volens facere non potest. Ideò dicuntur peccata* (nota *dicuntur* minus propriè, non autem reverà sunt) *quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* En cur minùs propriè vocentur peccata, quia sunt effectus sive pœna peccati Adæ.

Juverit hic animadvertere, quod peccatum Adæ vocet Augustinus peccatum liberæ voluntatis, opponens illud quodammodò peccatis posteà in statu naturæ lapsæ perpetratis: non quod hæc non sint peccata voluntatis liberæ à necessitate, sicut fuit voluntas Adami: sed quod non sint peccata voluntatis liberæ ab ignorantiâ & difficultate, quæ cum labore superanda est: quâ molestiâ carebat voluntas Adami. Sed redeamus ad propositam materiam.

Suam mentem igitur S. Doctor explanat similitudine manifestâ. *Nam*, inquit, *sicut linguam dicimus non solùm membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum, secundùm quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod* PROPRIE VOCATUR PECCATUM, LIBERA ENIM VOLUNTATE, ET AB

SCIENTE

SCIENTE COMMITTITUR, *Sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* En manifestum discrimen inter peccata propriè dicta, quæ liberâ voluntate & ab sciente committuntur, & inter peccata impropriè dicta, quæ non committuntur liberâ voluntate & ab sciente, sed ab ignorante invincibiliter, quâ de causâ etiam necessitas adjuncta est, ut de supplicio veri peccati, tamquam pœnam consequatur. Patet igitur mens Sanctissimi Doctoris conformis sententiæ communi,& aliena à dogmate Adversariorum.

SECTIO III.

Eadem confirmantur ex cap.67. libri de natura & gratia, & ex lib.2. Retract. cap.9.

58. ET in libro quidem de natura & gratia agnoscit & admittit verba illa, quæ Pelagius sibi objiciebat ex lib.3. de libro arbitrio: scilicet hæc, quæ etiam suprà retulimus: *quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? &c. Agnosco*, inquit Augustinus, *verba mea sunt.* Ac deinde illam doctrinam non rejicit, sed componit cum gratia, de qua tunc contrà Pelagianos disputabat.

Et assertâ contrà Pelagianos gratiâ, *qua nobis per mediatorem medicina opitulatur*, iterum interrogat: potest *ergo ei causa* (peccati scilicet) *quæcumque illa est, resisti?* & respondet verbis clarissimis:

simis: *potest planè.......... potest peccatum caveri*: quæ omnia pluribus ibi prosequitur.. Denique recitat multa ex iis, quæ jam proximè ex lib. 3. de libero arbitrio declaravimus, nec quidquam in illis corrigit, sed verbis expressis testatur & dicit: per illa, *gratiam Dei non evacuavi.* Inter cetera verò, quæ ibi repetit & quasi sua facit, sunt verba hæc: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

Eadem ferè iterum repetit, idemque agit lib. 2. Retract. cap. 9. ostendens illa, quæ contrà Manichæos olim disputavit, cum gratia optimè conjungi, imò in ipsis libris de libero arbitrio jam tum conjuncta fuisse.

SECTIO IV.

Respondetur Adversariis.

59. DIcunt Adversarii; (a) quod *illa.... verba* (non tibi deputatur ad culpam &c.) *non tam ad aliquam peculiarem veritatem astruendam repetiit* Augustinus, *quam ut necessitate compulsus castum eorum sensum à subtilissimis Pelagianorum argumentationibus vindicaret.*

Sic est: non astruit Augustinus per illa verba veritatem peculiarem, sed communem. Ideoque dogmatis peculiaris Adversariorum nulla ibi mentio, nulla ibi distinctio inter ignorantiam juris

(a) *Epist.* §. 9.

juris naturæ non excusantem, & ignorantiam juris positivi excusantem: nulla, inquam, ibi mentio hujusmodi dogmatis verè peculiaris & proprii Adversariorum. Sed sensum verborum illorum castum, quo contrà Manichæos usus fuerat, vindicavit, defendit, inculcavit.

Deinde ex verbis illis Augustini: (a) *Illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* Sic concludunt Adversarii: *Sanctus ergò Augustinus docet ea, quæ ex ignorantia, aut cum ignorantia non rectè fiunt,* VERA *esse peccata*.

Sed quis bonus dialecticus admittat in consequente quidquam, quod in antecedente nusquam fuit assumptum? ubi autem Augustinus assumpsit illa, de quibus ibi loquitur, esse *vera* peccata? nullibi sanè. Quin imò, ut vidimus, negat esse proprii nominis peccata. Quo igitur jure Adversarii illam vocem *vera*, ponunt in suo consequente? (b) *Si autem,* inquiunt, *ei* (scilicet Augustino) *objiciatur eum qui sic peccat carere libertate ad peccandum necessaria, hoc totum acceptum refert primævæ Adami peccantis libertati. Primùm enim, inquit, illud præcedens peccatum meruit ista sequentia. Sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate, & à sciente committur, sed etiam illud, quod jam de ejus supplicio consequatur necesse est.* Hæc est ratiocinatio Adversariorum.

Si

(a) *Epist.* §.9. (b) *Epist.* §.9.

Si uſpiam, hic profectò cauſam noſtram agunt, & ſuam produnt Adverſarii. Cum enim illegitimè concluſiſſent ignorantiæ peccata, quæ de peccato primi parentis originem ducunt, eſſe peccata *vera*, hic vera non eſſe manifeſtè ipſimet declarant ex ipſis S. Auguſtini verbis; neque opus eſt de noſtro quidquam adjicere, ubi Auguſtinus pro ſe ſibi ſufficit, & inviſtiſſimè pugnat.

De eo, quod dicunt Auguſtinum libertatem ad peccandum neceſſariam referre acceptam primævæ Adami peccantis libertati, diſputavimus par. 1. cap. 2. art. 9. quò Adverſarii ſeſe poſſunt convertere.

Unum quæro: dum damnatum fuit illud: *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*: Cenſentne Adverſarii, id tantummodò damnatum eſſe, quod in Adamo non fuerit requiſita libertas à neceſſitate? an verò damnatio illa cadit etiam ſuprà libertatem hominis lapſi? nihil opus eſt pluribus, ut unuſquiſque videat, quo hæc vergant.

Manet itaque inconcuſſa ſententia S. Auguſtini: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus* ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras: & communis doctrina tradita ac confirmata, Adverſariorum verò dogma refutatum eſſe videtur. tranſeamus ad locum alterum.

AR-

ARTICULUS II.

De Epistola 105. *ad Sixtum.*

VIdetur hic locus charus esse Adversariis. Dicunt enim illum esse *instar omnium*, & vocant eum *luculentissimum*, ex quo *quatuor maximi momenti consequentia*, ut aiunt, *deducuntur*. Operæ pretium igitur erit articulum hunc in tres sectiones partiri. In primo Augustinianæ dissertationis scopus & series accuratè ob oculos ponetur. In 2. confirmabitur inde doctrina communis. In 3. ostendetur quam inania sint Adversariorum tela ex loco isto petita.

(a) *Epist.* S. 9.

SECTIO I.

Scopus & series dissertationis.

60. DUas Epistolas scripsit S. Augustinus ad Sixtum tunc Presbyterum, qui deinde Pontifex Romanus fuit, ac gloriosissimus Martyr. Sunt illæ inter Epistolas ordine 104. & 105. Prima brevis est, & quasi præliminaris. In 2. acriter disputat contrà Pelagianos. Hujus igitur 2. Epistolæ argumentum hac primâ sectione instituimus evolvere, idque per duos paragraphos. In quorum primo dogmata perniciosa Pelagianorum in medium proferemus, illisque opponemus Catho-

Catholicam doctrinam, verbis fere ipsius Augustini declaratam. In altero videbimus quibus annis doctrinam bonam Pelagiani oppugnarint, & S. Augustinus defenderit.

§. I.

Errores Pelagianorum, & opposita S. Augustini Doctrina, quæ in hac epistolâ defenditur.

Error 1. quod liberum arbitrium sine Dei adjutorio possit promereri, & promereatur gratiam, imo & salutem æternam. Contrà hoc sic asserit Augustinus circa initium. *Si autem gratia, utique nullis meritis debita, sed gratuitâ bonitate donata.* Plura habet similia.

Error 2. quod viribus liberi arbitrii sine Dei adjutorio adscribendus sit Spiritus fidei, & orationis, remissio peccatorum & gratia ipsa. Contrà sic dicit Augustinus circa initium. *Sed nec ipsa remissio peccatorum, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Et infra. *Sine spiritu fidei, non est rectè quisquam crediturus, nec sine Spiritu orationis salubriter oraturus.*

Error 3. quod tota electionis & prædestinationis causa, referenda sit in vires liberi arbitrii auxilio Dei destituti. Contrà istud in principio sic pronunciat S. Doctor: *Quia universa illa massa meritò damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat in debitum gratia: non meriti prærogativâ. &c.*

Error 4. quod parvuli careant peccato originali, etiamsi faterentur, quod cœlum ingredi non possint, nisi renati. Cæterum quod hi baptizentur & saluentur, illi verò non baptizentur & damnentur, id totum adscribendum bonis vel malis operibus per arbitrii libertatem factis, aut faciendis. Contrà hunc errorem sic disputat in fine: *Exorcizantur & exsufflantur infantes. Hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur .... per quid dominatur, nisi per peccatum?*

Error 5. quod adulti numquam damnentur propter peccatum originale: hoc enim negabant, sed tantummodò ob peccata actualia. Et quod illi adulti, qui remissionem peccatorum, gratiam, & salutem accipiunt, ea omnia mereantur per liberi arbitrii vires: vel certè quod detur illis gratia, propter justam, ut aiebant, excusationem, quia scilicet legem aut Evangelium non audiverant. Nam Pelagiani putabant, quod homines apud Deum possent agere causam suam in hunc ferè modum: Verum est, o! Deus, fecimus quædam contrà jura naturæ, & variè peccavimus, sed hoc adscribendum est ignorantiæ legis positivæ & Evangelii: quamvis enim quoquo modo facultas nobis fuerit, vitandi peccata quæ fecimus: tamen lapsi in ea fuimus, quia defuit nobis lumen legis & Evangelii: quod si ad fuisset, non tantum peccata vitassemus, sed etiam sanctam vitam instituissemus. Igitur ignorantia legis fuit causa cur peccaverimus, & debet nos excusare:

re : ideoque convenit nobis dari gratiam remissionis peccatorum. &c. Contra hunc 5. Errorem sic differit Augustinus circa medium : *Si excusatio ista justa esset , non inde jam gratia sed justitia liberaret. Cum verò non liberat , nisi gratia , nihil justum invenit in eo , quem liberat , non voluntatem , non operationem , non saltem ipsam excusationem. Nam si hac justa est, quisquis eâ utitur , merito non gratiâ liberatur.*

Atque hi ferè sunt errores contrà quos S. Augustinus , totâ illâ epistolâ invictissimè pugnat. Doctrina verò Augustini brevissimè reduci potest ad unum illud punctum : quod liberum arbitrium sine adjutorio Dei, nequeat promereri vitam æternam, aut gratiam, ne primam quidem. Nunc juverit videre,quibus argumentis doctrinam hanc oppugnarunt Pelagiani , ac quomodò S. Doctor illa retuderit.

§. 2.

Quomodò S. Augustinus satisfecerit ijs , quæ Pelagiani objiciebant.

61\. Videntur duo præcipuè objici Augustino. Primũ his verbis à S. Augustino refertur in ipso epistolæ initio : *putant* (Pelagiani scilicet) *auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint.* Ad hoc brevissimè respondet , sine adjutorio Dei liberum arbitrium non firmari , sed

per inania ferri, neque in Domino collocari: & concludit, per adjutorium Dei parari voluntatem à Domino: ut scilicet possit mereri, ea quæ conducunt ad vitam æternam: alias enim per inania fertur.

Mox subjicit S. Doctor secundum quod objiciunt, his verbis: *Personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis cujus vult miseretur.* Ità illi, teste Augustino: quasi dicerent, nisi libero arbitrio soli concedamus vires promerendi gratiam, saltem primam, erit personarum acceptor Deus. In hoc telo propulsando, reliquam ferè totam epistolam S. Doctor consumit.

Summa responsionis hæc est. Quamvis ad altitudinem sapientiæ Dei referendum sit, quod illos obduret non impertiendo misericordiam, hos verò liberet per indebitam gratiam. Et sanè quis intelligat cur hi gratiam efficacem ac perseverantiæ, donum accipiant, illi verò minimè? cur unus infans sine Baptismo moriatur, alter verò Baptizetus, idque quamvis ille inter fideles natus sit: alter inter infideles, prout S. Doctor egregiè disputat circa finem epistolæ. Quamvis, inquit Augustinus hæc verissima sint: non tamen ideò Deus est acceptor personarum: quia quoscumque damnat justè damnat, & ex veritate vindictæ, sicut pluribus explicat, & confirmat, allatis etiam locis ex Apostolo ad Rom: 9. 10. & 11.

Sed quia generalis hæc responsio non satisfaciebat Pelagianis, nisi sigillatim causam daret ob

quam

quam justè damnarentur, qui non liberantur: ideò damnationis causam dicit esse duplicem, quorum utraque, vel alterutra semper adest, dum quis damnatur.

Hæ causæ duæ sunt, vel peccatum originale, vel peccatum actuale. Sic enim loquitur circa medium: *Si autem malè vivunt, de suo malè vivunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper addiderunt.* Et infrá. *Inexcusabilis est omnis peccator, uel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis.* Et iterum post medium: *voluntas hominis aut hæreditarium vitium transmisit ad posteros, quos in se habuit, cum peccaret, aut acquisivit etiam cætera vitia, cum in seipso unusquisque perditè viveret.*

Prætereà S. Doctor in parvulis, qui non liberantur, ostendit inveniri peccatum originale, quod negabant Pelagiani: de quo puncto pulchrè disputat circa finem epistolæ.

Deinde quoad adultos, duos illorum status considerat. 1. Est eorum, qui & legem & Evangelium ignorarunt: & de his circa medium dicit: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Peccaverunt ergò, vel in Adamo vel in se. *Neque enim*, inquit, *damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertransiit* (En peccatum originale) *in quo antè propria in singulis quibusque peccata omnes communiter peccaverunt.* En peccatum originale condistinctum contrà propria in singulis peccata.

Quænam autem ſint propria illorum, qui legem ignorant, peccata, enarrat ſubinde Auguſtinus Paullò antè: videlicet, quod inviſibilia Dei *conſpicere potuerint, nec obedierunt tamen veritati, ſed iniqui & impij permanſerunt: neque enim non cognoverunt ſed cognoſcentes*, inquit, *Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ab his peccatis, aliiſque quos Apoſtolus exponit ad Rom: 1. dicit Auguſtinus illos non excuſandos, quantumvis ſe excuſare conentur per ignorantiam legis & Evangelii, ſicut vidimus §. 1. in errore 5. hæc enim tantum excuſat eos, à peccato prævaricationis legis Moſaicæ, vel incredulitatis in Chriſtum.

Itaque eorum ſuperbiam, quâ excuſabant ſe in ignoratione legis, tam de peccato originali, quam de actualibus & propriis retundit Auguguſtinus his verbis: *Humana quippe ſuperbia, tamquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantia non voluntatis videtur eſſe, quod peccat.* Sive hæc Auguſtini verba intelligantur de excuſatione peccati originalis ſive peccatorum actualium, non multum refert: quia tam illud, quam hæc videri poſſunt eſſe ignorantiæ non voluntatis. Illa quæ ſubnectuntur, partim ad originale partim ad actualia ſpectant ſic enim pergit: *Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit qui non audierunt*, ſcilicet legem aut Evangelium. *Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quamvis ſe ipſi excuſare videantur,*

deantur, non admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum eique obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi ejus, quo malè usus est libero voluntatis arbitrio, etiam quod transieret in posteros manasse peccatum. En quomodò retundat superbiam illam per originale peccatum: & pergit sic: *nec enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertransiit, in quo antè propria in singulis quibusque peccata omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit* (Scilicet legem aut Evangelium) *sive qui ignorat: sive qui judicat*, prout ex Apostolo ad Romanos Paulò antè locutus fuerat de iis, qui secundum legem alios judicant, & docent non furandum, *sive qui non judicat. Quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere* (scilicet legem) *noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt* (scilicet legem intelligere) *pœna peccati.* Ex quo pulcherrimo tanti Doctoris loco, duo ad rem nostram mirè facientia, notanda sunt.

Primum est, quod ignorantia juris positivi sit pœna peccati. Nam de ignorantiâ legis id disertè ibi pronuntiat Augustini.

2. Est quod ignorantia, quæ est pœna peccati; si insuperabilis sit, excuset quidem à culpâ illas actiones, quarum malitia cognitionem tollit. Nam Augustinus idcircò superius attu-

lerat illud Joan. 15. *Si non venissem*, *& eis locutus non fuissem*, *peccatum non haberent*. Quod explicat de peccato incredulitatis. Non tamen excusat à culpâ illas actiones, ad quas aliunde conveniens cognitio & libertas habetur: quod item Augustinus perspicuè tradit his verbis: *non utique peccatum nullum haberent*, *qui pleni erant aliis magnis multisque peccatis*. Nota, *aliis peccatis*, distinctis scilicet ab eo cujus malitia innocenter ignoratur.

Idque verum est, etiamsi illa ignorantia occasio sit cur alia ista peccata fiant animo proniore, ità ut etiam fortè non fierent, si illa ignorantia abesset. Exempli gratiâ. Sodomitæ ignorabant Evangelium & virtutes, quales Christus fecerat apud Capharnaitas, & ideò peccatum incredulitatis in Christum non habebant, quia Christus nondum venerat, nec locutus eis fuerat. Eadem illa ignorantia, erat quodammodò causa, cur alia peccata proniori animo facerent. Imò si abfuisset illa ignorantia, & scivissent illas virtutes, fortè peccata illa non perpetrassent, testatur enim ipse Christus, quod *fortè mansissent usque ad hanc diem*. Attamen quia illa ignorantia, non adimebat cognitionem aut libertatem, quæ sufficiebat ad alia peccata, ideò tantum poterat hoc præstare, ut *Remissius* illis esset, in die judicii, sicut Christus loquitur Matth. 11. non verò, ut liberarentur. Atque hinc patet in illis, qui legem aut Evangelium ignorarunt, esse justam damnationis causam, sive propter peccatum origi-

originale, sive propter actualia, & propria in singulis peccata, quæ per ignorantiam illam à culpâ liberari non possunt.

Secundus status est illorum, qui post cognitionem legis & euangelii damnantur. In his duplex illa causa justæ damnationis, magis etiam, quam in aliis elucet. Quamobrem hos meritò dici & esse inexcusabiles, pluribus ibi ostendit S. Augustinus. Ex quibus tandem conficitur, Deum neutiquam esse personarum acceptorem, sicut Pelagiani objecerant. Nunc propius veniamus ad rem nostram.

Non possum tamen prætermittere, pulcherrimam confessionem Angelici Doctoris cum S. Augustino: sic igitur loquitur ille in Caput. 10. Epist. ad Rom. lect. 3. *illi qui loquentem Dominum per se vel per ejus discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet justificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel malè vivendo addiderunt, & pro his meritò damnantur.* Ita D. Thomas.

SECTIO II.

Confirmatur doctrina communis ex jam dictis.

62 AC primò quidem sic licet ratiocinari. In totâ illâ Epistolâ S. Augustini, nihil omnino invenitur, quo videatur tradi, quod ignorantia invincibilis juris naturæ non excuset à

peccato actuali propriè dicto. Ergo nulla hic est pro Adversariis revelàtio aut traditio. Nam seclusо statu parvulorum, qui ob solum originale à salute removentur, nullum inter adultos statum enumerat Augustinus obnoxium duplici vel alterutri damnationis causæ, in quo non fuerit cognitio, vel saltem facultas cognitionis necessariæ ad peccandum, adeoque ignorantia tantum vincibilis. Idcircò de statu eorum, qui legem ignorabant, qui magis quidem, quam cæteri non tamen omnino excusandi erant, dicit cum Apostolo, *neque enim non cognoverunt* (Deum scilicet) *sed cognoscentes &c.* en requisitam cognitionem. Et paulò antè circà medium dixerat: *conspicere potuerunt &c.* en ignorantiam vincibilem.

Deinde S. Augustinus revocat omnes damnationis causas, vel ad peccatum originale, vel ad peccatum proprium, quod fit additamento propriæ voluntatis. Atqui, secluso peccato originali, nequit in adultis intelligi additamentum propriæ voluntatis ad peccandum, quando penitus ignoratur esse peccatum: neque licet confugere ad voluntatem Adami, quia illud est additamentum alienæ, non propriæ voluntatis.

Prætereà S. Augustinus post medium dicit: *ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Ubi clarè condistinguit peccatum propriè dictum contrà id quod est tantùm pœna peccati. Vel igitur ibi loquitur de ignorantiâ juris naturæ, vel de ignorantiâ juris positivi, vel de

de utrâque. Si loquatur de ignorantiâ juris naturæ ergò ex ipsius mente, datur ignorantia invincibilis juris naturæ, hoc est, dantur, qui jus naturæ non potuerunt intelligere. Malè igitur de hoc dubitant Adversarii: & multò pejus id negat Havermannus. Si loquitur Augustinus de ignoratione juris positivi: ergo hæc etiam est pœna peccati: quod Adversarii etiam horrent dicere. Si loquitur de utrâque ergò de utrâque pariformiter statuendum erit. Quæ omnia cum Adversariorum placitis non cohærent.

SECTIO III.

Respondetur Adversariis.

63 ADversarii ex hac epistolâ deducunt quatuor consequentias, quas dicunt esse maximi momenti.

1. Inquiunt, * *sequitur ignorantiam voluntariam affectatam, crassam, & supinam, ut vocant, non solum non excusare peccata, quæ ex eâ oriuntur, sed etiam ipsaminet ignorantiam peccatum esse, cum asserat, ignorantiam in eis qui intelligere noluerunt, sine dubio peccatum esse, atque adeò qui peccat ex istâ ignorantiâ duplicis peccati reum esse.* Ità illi.

Si Adversarii consecutionem illam, prout verba sonant universè accipiant, facilè illis hactenus assentiemur.

2. Inquiunt, * *ex verbis Augustini consequens est,* *cum*

* *Epist.* 5. 9. * *Epist.* 5. 9.

eum qui peccat etiam ex juris naturalis ignorantiâ, quam dicunt invincibilem, si revera sit aliqua omnino invincibilis, non excusari. Hæc veritas patet ex illis verbis: in eis autem, qui non potuerunt (intelligere) *pœna peccati est.* Hic enimvero dissentimus Adversariis, quia putamus quod modo non uno aberrent à mente S. Augustini. 1. Volunt S. Augustinum, ibi agere de ignoratione juris naturalis, cum agat apertè de ignoratione legis, sive Euangelii, ut suprà demonstratum est. 2. Si ageret de ignoratione juris naturalis, nœ tunc injuriam non levem inferunt tanto Doctori Adversarii nostri, quando ipsi in dubium vocant, quod Augustinus disertissimis verbis pronuntiat de illis *qui non potuerunt* intelligere. Dicit S. Doctor indubitanter *non potuerunt*, Adversarii verò in dubium vocant, an potuerint. Idque in eâdem periodo his verbis, *si revera sit aliqua omnino invincibilis.* 3. Augustinus ibi expressis verbis asserit, quod talis ignorantia sit pœna peccati: cedo autem verbum vel unum, quo testetur per illam non excusari peccatum: quo igitur jure Adversarii addunt id, quod S. Doctor totâ epistolâ nusquam dicit?

3. Inquiunt, * *deducitur ex illo loco, ignorantiam illam, quæ non excusat, non oriri dumtaxat ex magnis illis & ingentibus ac sæpè repetitis criminibus, quæ merentur excæcationem, sed etiam ex peccato originali, utramque enim exprimit veluti nostræ ignorantiæ causam: ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu*

* *Epist.* 5.9.

reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui nocuit, sive qui ignorat. Ità Adversarii.

Sed respondetur à S. Augustino peccatum originale & actuale ibi istis verbis non afferri tamquam utrumque sit causa ignorantiæ quamvis enim non negemus hoc verum esse, dicimus tamen hoc ibi non agi: sed afferri utrumque peccatum, tamquam causam damnationis, & inexcusabilitatis, ut sic loquar. Quod manifestum sit ex illis verbis: *inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis &c. sive qui ignorat &c.* Ubî τὸ *qui* refertur ad peccatorem: ut ostendatur omnem peccatorem, sive ignarum legis, sive non ignarum esse inexcusabilem, & damnari vel ob peccatum originale, vel ob peccatum actuale. Non dixit Augustinus: ignorat peccator, vel ob reatum originis, vel &c. sed inexcusabilis est vel ob reatum &c. Itàque consecutio Adversariorum est similis huic: vel originale peccatum, vel actuale sunt causa, cur peccator justè damnetur, sive qui Rex est, sive qui Rex non est. Ergo peccatum Originale vel actuale causa est cur aliquis sit Rex. Judicent ipsi Adversarii de hac consequentia.

4. Adversariorum consecutio sic habet: * *denique concluditur ignorantiâ, etiam quæ secundum statum in quo versatur, qui peccat, videtur invincibilis, non semper ità peccatum attenuari & minui, ut desinat esse mortale, si gravis sit ex naturâ suâ actionis turpitudo: hoc apertè declarant ista verba: & in utrisque non*

* Epist. §.9.

non est justa excusatio, sed justa damnatio. Damnatio quippe non sequitur, nisi ex peccato mortali. Ità illi.

Sed Adversarii minimè advertunt, agi ibi de ignorantibus legem aut Euangelium. Hæc itàque est consequentia Adversariorum: Ignorantia legis aut Euangelii excusat peccatum incredulitatis, cujus malitiæ cognitionem aufert, & non excusat peccatum adulterii cujus malitiæ cognitionem non aufert: ergo ignorantia non excusat à peccato. Ipsimet Adversarii judicent an non contrarium concludi debeat.

Deinde quæ forma aut vis consequentiæ in hoc est? tam in illis qui non audierunt Euangelium, quam in illis, qui illud audierunt est justa damnatio, vel propter originale vel propter actuale peccatum: ergo ignorantia non excusat peccatum, cujus malitiæ cognitionem penitus aufert. Examinet studiosus lector totum illum locum Augustini, & comperiet (ni fallor) S. Doctoris mentem esse planè diversam ab iis, quæ Adversarii dicunt.

Subnectunt Adversarii ex Augustino verba sequentia: *eum qui bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccare, & ea esse omnia peccata ignorantiæ quando quisque benè fieri putat, quod malè fit.* Sed non annotant locum, ubi Augustinus hoc dixerit.

Itaque adivi Jansenium Iprensem, mox locum reperi lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 3. in fine: ubi ad simile ferè suum dogma stabiliendum illum

adfert

adfert ex Augustino Epist. 154. ad Publicolam. Sed more suo primum reticuit, illo loco Augustinum agere potissimum de ignorantiâ facti. Nam proximè loquutus erat, de eo, qui dubitaverat an caro in macello venalis immolatitia esset: ac mox subnectit hæc verba: *si quis autem bonum putaverit* &c. Verum Adversarii cautè vel omiserunt, vel mutarunt particulam illam *autem*, quia fortasse videbant per hanc aliquo modo verba jam allata referri ad proximè præcedentia, per quæ de quæstione facti disertè agitur. Constat autem etiam apud Adversarios, quod debeat ignorantia facti esse vincibilis, ut per eam peccetur, de vincibili igitur ignorantiâ hic agitur. Deinde reticuit; isthic agi de eo, qui dubitavit bonumne esset, an malum. Nam Publicola in suâ Epistolâ his verbis Augustinum interrogat: *si quis bonam rem, de quâ* DUBITAT *an bona, an mala sit, faciat, & putat bonam cum tamen putasset & malam, si peccatum, adscribatur ei?* ad hanc interrogationem respondet S. Augustinus prout jam dictum est. Patet ergò hic agi de dubitante, & habente ignorantiam vincibilem. Neque adeò locus ille spectat ad rem, de qua disceptamus.

Ex toto hoc capite patet adeò non traditam esse ab Augustino doctrinam Adversariorum, ut potius communem confirmet, & stabiliat. Nulla igitur hactenus vel traditio, vel revelatio dogmatis Adversariorum allata est.

CAPUT IV.

De S. Ioanne Chryſoſtomo.

64 SAnctiſſimus hic Doctor ſub initium homiliæ 13. in epiſt. ad Roman. ſic loquitur: οὐδεὶς γὰρ οὐδέποτε ἐν ἀγνοίᾳ ἥμαρτεν. Quod Adverſarii ſic vertunt: *nemo enim in ignorantiâ peccavit.* Omittentes *umquam.* οὐδέποτε.

Explicat ibi Chryſoſtomus illud Apoſtoli ad Roman. *Quod enim ago, non intelligo.* Ac primò ſtatuit quod vox illa *non intelligo*, ſit idem quod, *ignoro.* Tum quærit: *id verò quando fuit? nemo enim homo umquam præ ignorantiâ peccavit.* Et mox ſubdit: *nam ſi ignorantes illi peccavêre, indigni quidem erant, qui pœnas darent.* Quæ verba, ut vera ſint, neceſſe eſt dari aliquid ignorantiæ genus, in quo numquam adultus peccet ſic, ut ei imputetur ad culpam, vel ut pœnâ dignus ſit.

Evidens etiam eſt Chryſoſtomum in totâ illâ diſſertatione loqui de ignorantiâ juris naturæ. Agit enim *de iis quoque, qui antè legẽ, atque adeò qui jã inde ab initio vixêre.* Hoc eſt, de iis, qui lege poſitivâ carebant. Frivolum etiam eſſet dicere, quod tantummodò intelligat ignorantiam facti. Nam tota ſeries homiliæ contrarium clamat. Manifeſtum denique eſt, quod agat de hominibus venumdatis *ſub peccatum.* Igitur Chryſoſtomus docet eſſe in ſtatu naturæ lapſæ aliquàm ignoran-

tiam

tiam juris naturæ, in quâ adulti numquam peccaverint sic,ut culpæ rei,aut pœnâ digni fierent.

Et verò idem confirmat S. Doctor quasi à contrario, ostendendo ignorantiam, ut possit in eâ peccari debere esse vincibilem. Idcircò ignorantiam invincibilem etiam vocat simpliciter ignorantiam: illam verò quæ vincibilis est, vocat tenebras, insidias, cognitionem non tam exactam: dicens illos, qui peccaverant, *sciviſſe quidem non tamen uſque adeò exactè*. Et reverà qui vincibili laborat ignorantiâ, ille quasi aliquid tenuioris luminis solet habere, quo posset, si vellet, tenebras dispellere, & peccatum fugere. Habemus ergo commune dogma in Chrysostomo exploratum.

65. Adversarii dicunt 1. quod Chrysostomus * *ijs debet adjungi, qui putant non dari omnimodam, aut etiam invictam legis naturæ ignorantiam.* Quia, ut aiunt, *existimat ignorantiam illam, quam peccatum invexit non esse omnimodam ignorantiam, & quæ omnem penitus cognitionem excludat*, &c.

Respondetur. Ex eo, quod nemo peccaverit in ignorantiâ invincibili, vel ex eo quod adhuc aliqua cognitio, vel aliquæ reliquiæ luminis remanserint, non magis concludi potest, quod S. Doctor judicarit non dari invictam legis naturæ ignorantiam; quam concludi possit nullam dari amentiam ex eo, quod nemo umquam amens peccaverit, aut adhuc inter homines remanserint reliquiæ rectæ rationis.

L Deinde

* *Epist. S.* 9.

Deinde si hoc verum esset, Chrysostomus non debuisset dicere, *nemo in ignorantiâ peccavit.* Sed *nemo umquam ignoravit.*

Sed quicumque pervolverit homiliam istam, plura inveniet in hanc rem.

Quæro tamen ex Adversariis, quales sint illæ ignorantiæ, quas dicunt tamquam pœnas peccati originalis nobis esse congenitas? si enim vincibiles sint, ergò præter originale, sunt nobis congenita alia multa peccata propriè dicta personalia, & actualia: & quidem necessaria., quia congenita. Statuunt enim Adversarii æquè atque nos ignorantiam vincibilem esse reverà peccatum, ideòque dicunt eum, *qui peccat ex istâ ignorantiâ duplicis peccati reum esse.* Si verò congenitæ ignorantiæ illæ sint invincibiles, non erunt juris positivi. Nam hæ non possunt esse congenitæ illi, qui vixit antè legem positivam, de quo etiam agit Chrysostomus: restat ergo ut sint ignorantiæ juris naturæ invincibiles. Nisi malint Adversarii primam consecutionem admittere, quod illos facturos, credere vix possum.

Istud quoque mirari poterit ex Adversariis quispiam (nobis enim id minimè mirum accidet) nullam totâ hac homilia mentionem esse factam à S. Doctore, cum tamen locus id poscere in primis videretur, libertatis Adami, ad quam referri possit libertas peccantis ex ignorantiâ.

Dicunt Adversarii 2. quod S. Chrysostomus saltem non * *existimat illam, de quâ loquitur Apostolus ignorantiam peccatum omnino excusare*, *licet ut multi*

* *Epist.* §. 9.

multi alii arbitrantur malitiam minuat.

Respondetur quod illa ignorantia, per quam Chrysostomus censet non penitus excusari, sed minui malitiam peccati, sit vincibilis. Hoc luculentè ostendit, dum causam cur pœnas quidem luerent, sed non tam graves, hanc reddit: quia sciebant, quidem se peccavisse, *non tamen usque adeò exactè*. Quod autem non tantummodò minuatur, sed tollatur omne peccatum, quando ignorantia est absoluta & invincibilis, pronunciat verbis hisce clarissimis: *si ignorantes illi peccavêre, indigni quidem erant, qui pœnas darent.*

66. Post hæc disputant Adversarii ex lib. 6. de Sacerdotio cap. 1. & 11. * hunc in modum: ex mente Chrystomi peccata sacerdotum majora sunt populi peccatis, quia lævit. 4. idem Sacrificiũ pro peccato sacerdotis Deus præcepit offerri, quod pro totius populi peccato offerendum erat. Atqui eò loci agitur de Sacrificio pro peccatis ignorantiæ instituto. Ergo Chrysostomus agnovit vera ignorantiæ peccata: & non tantum externas maculas legales, quæ animum apud Deum non dehonestarent. Ita illi.

Sed respondetur distinguendo subsumptum. Atqui eo loci, scilicet Levit. 4. agitur de Sacrificio pro peccatis ignorantiæ vel legalibus, vel propriè dictis ortis ex ignorantiâ vincibili *, conceditur. Pro peccatis propriè dictis ortis ex ignorantiâ invincibili, negatur. Nam alioqui cogerentur Adversarii fateri, quod ex ignorantiâ invincibili juris positivi oriantur propriè dicta peccata, sicut

* *Epist.* §. 9.

ostendimus hic part. 2. cap. 2. art. 2.

Sed nostrum non erat ad hoc argumentum respondere. Illos enim oppugnat, qui negant omnia propriè dicta peccata orta ex quacumque ignorantia. Nos verò talia & gravissima & innumerabilia agnoscimus.

CAPUT V.

De S. Hieronymo.

67 PRoducunt Adversarii S. Hieronymum Dialogorum adversus Pelagianos sub personis Critobuli & Attici institutorum lib. 1. cap. 10, sic loquentem nomine Critobuli: *Rogo te, quæ est ista justitia, ut in peccatis tenear erroris, nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio pœnas luo, & quid plus facio, si sponte peccavero?* cui ipsum deridendo solidè respondit Atticus: *à me sententiæ, & dispositionis divinæ causas requiris. Respondet stultæ interrogationi tuæ liber sapientiæ: altiora te ne quæsieris*, &c. Et post plures allatos Scripturæ locos, exemplis multis evincit dari vera ignorantiæ peccata. Ità Adversarii.

Sed iterum hic obliviscuntur & sui, & doctrinæ nostræ. Nam hoc telum illos petit, qui nulla agnoscunt ignorantiæ peccata. An verò hi uspiam gentium sint non scio. Nisi Critobulus fortassis fuerit olim unus ex hujusmodi insanis. Quamquã ut ex proœmio S. Hieronymi colligitur, videtur ille tantummodò negasse ignorantiæ peccata, in non-

* *Epist.* §. 9.

nonnullis, *qui ad Consummationis culmen ascenderint.* Ut ut sit. Nos tantummodò negamus dari propriè dicta peccata ex ignoratione insuperabili. Oro Adversarios, ut horum memores sint.

Sed evincit, inquiunt, Atticus dari vera ignorantiæ peccata *illius etiam*, *quæ videtur in eo in quo versamur statu invicta*, cautè dicunt, quæ *videtur* invicta: cautè, inquam, dubium relinquunt, an invicta sit.

Verum tamen licebit mihi contra illos sic ratiocinari. Hieronymus ibi loquitur vel de ignorantiâ invincibili, vel de vincibili, vel de utrâque.

Si loquitur de utrâque. Ostendant Adversarii ubinam S. Doctor distinguat testimonia, discernatque illa quæ sunt ignorantiæ invincibilis, ab illis quæ sunt vincibilis. Ostendant discrimen, quod sit inter utramque. Nam si pariformiter de utraque & promiscuè agat: constat, quod vel utraque excuset, vel utraque non excuset. Quorum neutrum Adversarii fatentur, si sermo sit etiam de ignorantiâ juris positivi, aut facti. Talis porrò ignorantiæ exempla multa, ibi ponit Hieronymus.

Si loquitur tantum de invictâ. Ergo datur invicta, & quidem juris naturæ, nisi enim de hac agi ostendant Adversarii, nihil pro se concludere possunt. Cur ergo ignorantiam invictam juris naturę in dubium vocant? prætereà, ut diximus, plurima ibi miscentur, quæ sunt juris positivi & facti, ergò ignorantia horum invicta etiam non excusabit quod tamen Adversarii etiam non tradunt.

Si loquitur de vincibili tantum, ergò iterum fi-

cti & commentitii hostes impetuntur ab Adversariis, non verò nos.

Ad hæc S. Hieronymus ibidem lib. 3. cap. 1. docet quod *Deus possibilia* mandavit. *Et hoc*, inquit, *nulli dubium est*. Atqui etiam nulli dubium est possibile non esse, ut quis velit vel nolit, quæ prorsus ignorat. Itàque non credidit Deum mandasse, ut vellemus, vel nollemus id, quod prorsus ignoramus.

Denique S. Hieronymus agit contrà eos, prout initio epistolæ ad Clesiphontem scribit, qui *per turbationes.... asserunt extirpari posse de mentibus, & nullam fibram radicemque vitiorum in homine omnino residere*. Et ibi cap. 4. *posse hominem esse sine peccato, si velit*, idque sine adjutorio Dei, uti cap. 3. ostendit. Item contrà eos, prout loquitur in proœmio ad dialogos qui asserunt, *se ne cogitatione quidem & ignorantiâ, cum ad consummationis culmen ascenderint, posse peccare*.

Contrà hos, inquam, pugnat S. Hieronymus, quorum errores manifestis argumentis satis redarguit, dum probat tam luculentè dari peccata, vel legalia ex qualicumque ignorantiâ, vel propriè dicta ex ignorantia vincibili neque opus erat dicere, sicut nec dixit S. Doctor, dari peccata propriè dicta ex ignoratione invincibili.

Itaque nulla hic revelatio nulla traditio, de dogmate, quod Adversarii tuentur, sed contrarium potius traditur, ut diximus.

CAPUT VI.

De S. Gregorio aliisque Patribus.

68. ADferunt ex S. Gregorio lib. 19. moral. hæc verba, quæ habentur ibidem cap. 20. * *Crebrò namque peccatum aut ignorantiâ, aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo, quid velle debeat, vel non omne, quod voluerit possit.* Hæc verò de ignorantiâ & infirmitate vincibili, intelligit S. Doctor: nam ibi elegantissimè explicat, quomodò illà ignorantia & infirmitas vinci possit; nimirum si homines illi cæci & claudi velint illuminari, & sustentari ab Ecclesiâ, quæ est *pes claudo & oculus cæco*, prout Job de seipso dixerat: id quod deinde cap. 21. pulcherrimè applicat populo gentili tamquam cæco, & populo Judaico tamquam claudo.

Prætereà si posset ex eo, quod peccatum crebrò ignorantiâ perpetratur, legitimè inferri, ignorantiam invincibilem juris naturæ non excusare à peccato: similiter legitimè posset inferri, ex eo quod peccatum crebrò, infirmitate perpetratur, infirmitatem necessitate affectam non excusare à peccato. Nam æquabiliter de utrâque loquitur Gregorius. Atqui secunda illatio non valet, quia approbat 3. propositionem Jansenii damnatam: ergò nec valet prima. *

Subnectunt Adversarii S. Gregorio Patres Fulgentium, Prosperum, Anselmum, & alios, quos brevitatis causâ omitti dicunt. Sed neque locum citant neque verba proferunt. Quamdiu autem id

* *Epist. s. 9.* * *Epist. s. 9.*

non faciunt, nulla ostenditur revelatio, nulla traditio.

CAPUT VII.

De S. Bernardo.

S. Bernardus libro de præcepto ac dispensatione cap. 14. sic loquitur. * *Fides falsa, fides non est: denique de fide verâ, non falsâ puto dixisse Apostolum: omne quod non est ex fide, peccatum est. Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malũ est. Est enim falsũ. Peccatum igitur est. Vtrumq; proinde complectitur præsens capitulum, omne quod non est ex fide peccatum est, &c. & cacam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta: sive itaque malum putes bonum, quod fortè agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide.*

Adversarii dicunt hoc loco *nihil clarius esse*: imò ipsis judicibus locus hic *falsam ignorantiæ innocentiam jugulat penitus.* Ego verò aio manifestum esse, quod hæc S. Bernardi verba neutiquam possint conciliari cum Adversariorum doctrina, & quod illorum dogma ab his juguletur. Neque hic opus multis ambagibus.

S. Bernardus ibi exponit verba Apostoli ad Rom. 14. v. 23. *omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Manifestum autem est Apostolum ibi agere de jure positivo, & de ignorantiâ facti in ciborum usu. Patet id ex toto capite Apostoli.

* *Epist.* 5.9.

Melli-

Mellifluus verò Doctor optimè inhærens menti Apostoli, loco isto, imò toto libro agit ferè & præcipuè de solo jure positivo: sic ut de naturali non nisi obiter & comparando loquatur. Titulus ipse id evincit: qui est *de præcepto & dispensatione.* De quo titulo sic loquitur in epistolâ prævia ad Abbatem Columbensem: *quia... id præcipuè .... pertractatur, quænam liceat, præcepta .... dispensari, detur ei titulus de præcepto & dispensatione.* Dispensatio autem locum habet in præceptis juris positivi.

Ut verò clarè procedat, initio ponit præceptorum divisionem trimembrem, ut præceptum *in tria hæc subdividatur, stabile, inviolabile, incommutabile.* Dein singula explicat hoc modo: *stabile dixerim quod ita est necessarium, quod non cuilibet homini illud mutare fas sit, nisi solis ... præpositis: ut verbi gratia regula sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti, nec non Authentici Canones, & siqua sunt alia Ecclesiastica instituta.* En jus positivum. Pergit post pauca. *Quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi à Deo qui tradidit mutari omnino non patitur.* En jus divinum, in quo solus Deus possit dispensare, prout ibi ostendit. Post quæ ità tertium membrum declarat: *Iam verò necessarium incommunitabile quid accipi velim? equidem nihil congruentur, quam quod divinâ ità constat; & æternâ ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari.* En jus naturale.

Atque ità tria habemus ex Bernardo præcep-

torum genera , quorum solum primum patitur dispensationem prælatorum : quare de illo potissimum agit.

Et eo ipso loco, quo incipit tractare locum illum Apostoli , non omittit proferre exemplum de præcepto positivo , videlicet de usu ciborum , & Idolothytis.

Sensus ergò loci ab Adversariis objecti, hic est : *sive itaque malum* , etiam quod expositivo jure malum est , *putes bonum* , *quod fortè agis*, *sive bonum malum*, *quod operaris* , *utrumque peccatum est* , *quia neutrum ex fide est*. Hunc autem sensum Adversarii ipsi respuunt , si intelligatur de ignorantiâ invictâ, Et tamen nisi de ignorantiâ invictâ ipsi hunc locum intelligant , ad ad rem non facit.

Sed exeamus labyrintho Adversariorum , & demus sincerum ac planum melliflui Doctoris sensum : qui manifestus & immunis ab omnibus istis est tricis, si intelligatur de nescientiâ, sive ignorantiâ vincibili. Neque enim ipse dicit, quod fit ab eo, qui invictè nescit , sive qui non potest scire : sed simpliciter *à nesciente* : neque dicit sive malum invictè credas bonum , sed sive *putes* bonum : imò paulò antè utitur non semel voce *opinionis* , quæ formidinem de opposito non excludit : & ne ullus supersit dubitandi locus , sic clarè pronunciat : *qui perversus pariter & cæcus bonum agit*, *& malum credit*, *utique rectè operando*, *sed opinando iniquè*. Nota vocem illam *opinando iniquè*: quæ vincibilem opinionem manifestè declarat.

Idē confirmatur ex eo, quod agat de electione,

& pru-

& prudentiâ necessariâ, ut oculus sit simplex: atque adeò infert idcircò oculum non esse simplicem in eo, qui malum agit, *putans & inique opinans* illud esse bonum, quia peccat contrà electionem & prudentiam. Ubi autem ignorantia est invicta: nequit aut electio aut prudentia exigi, quia possibilis non est, deberet enim versari circa id quod sciri non potest.

Idem arguunt verba illa *Falli pronus*, per quæ pronitatem, non necessitatem ignorantiæ designat. Subdit, quod *malitia parit ignorantiam*. Voluntaria igitur est ignorantia. Denique dicit post medium: *Si volumus & non possumus, securi sumus.* Atqui dum ignorantia est invicta, omnino non possumus: ergò tunc securi sumus.

Ad extremum afferri potestis, quod idem mellifluus Doctor habet antè medium, ubi loquitur de illo, qui obediunt prælatis, qui falli & fallere nonnumquam possunt: loquitur autem in hunc modum: *sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipiendâ fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es?* Ità Bernardus. Agere itaque ex ignorantiâ, si præcipiat prælatus, etiamsi & ipse & subditus fallatur, peccatum in subdito non est.

Unum addo: optimè dici ibidem à S. Bernardo: quod *plus in malo, quam in bono humanæ valeat intentionis opinio.* Sed vide, quæ de hoc diximus supra par. 1. cap. 1. art. 3. in fine.

Omitto, quia piget toties idem dicere, quod Adversarii nequeant uti illo loco contrà nos, nisi fatean-

fateantur, dari invincibilem ignorantiam juris naturæ, de quâ loquatur S. Bernardus. Id tamen in dubium vocant. Dubia proinde est tota illorum probatio, & dubia, imò nulla revelatio aut traditio.

CAPUT 8.

De doctore Angelico.

70. S. Thomas qu: 3. de malo art.8. sic loquitur: *cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum.* Sentiunt Adversarii hunc locum sibi esse infestum. Quid enim poterat clarius dici? itàque ex eodem auctore quosdam locos conquisierunt, quibus clarissimam illam mentis Angelicæ lucem, aliquatenus saltem possent obscurare. Nos, uti confido, nebulas illas objectas, ipsis Angelici Doctoris radiis dispellemus per quatuor proximos articulos.

ARTICULUS I.

De 3. parte quæst: 80. *artic.* 4.

ATque ecce primo loco afferuntur verba, quæ in articulo jam laudato ad 5. sic ponit S. Doctor: *Dicendum, quod hoc, quod non habeat aliquis conscientiam peccati sui, potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam*

rantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum: putà si aliquis fornicator reputaret fornicationem simplicem non esse peccatum mortale, vel quia negligens est. &c.

Ut locus hic rectè intelligatur consideremus antè omnia ipsum articuli titulum, qui talis est. *Vtrum peccator sumens Corpus Christi Sacramentaliter., peccet.* Ad hoc respondet S. Doctor, quod *manifestum est, quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum sumit . . . . incurrit Sacrilegium, tamquam Sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.*

Ex his statim patet totam controversiam hanc, quasi duabus constare quæstionibus. Prima est, an quando quis est peccator, sive in peccato mortali, is peccet sumendo Sacramentaliter Corpus Christi. Altera est, quandonam aliquis censendus sit peccator, ita ut peccet hoc Sacramentum sumendo: Quoad quæstionem primam, jam vidimus S. Doctoris responsum.

Circa quæstionem alteram hæc sibi obiecerat num. 5. *Contingit quandoque quod aliquis peccator, non habeat conscientiam sui peccati, non tamen talis peccare videtur, Corpus Christi sumendo: quia secundum hoc omnes peccarent, qui sumunt, quasi periculo se exponentes.* &c. Sic autem respondet. *Ad 5: dicendum, quod hoc, quod non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Vno modo per culpam suam . . . . & sic nihilominus peccat peccator sumens Corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.* En vincibilem ignorantia

rantiam quæ non excuſat. Pergit S. Doctor : *Alio modo poteſt contingere ſine culpâ ipſius . . . & in tali caſu non peccat ſumendo Corpus Chriſti.* Quid aptius poterat dici ad rem noſtram ?

Iam ignorationis cui culpa ineſt duplex ponit exemplum. Primum eſt quando quis *per ignorantiam juris , quæ non excuſat , reputat non eſſe peccatum , quod eſt peccatum.* Non dicit per quamvis ignorantiam juris , ſed per ignorantiam , *quæ non excuſat* , ſciebat enim non omnem non excuſare , ſed aliquam puta invictam excuſare. Ideòque exemplum ſubnectit fornicatoris qui *reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale* , cujus fornicationis malitia mortalis ; eſto poſſit aliquando ignorari ab homine diſciplinis Chriſtianis non inſtructo , tamen non videtur poſſe ſine culpâ ignorari ab homine Chriſtiano credente myſterium SS. Euchariſtiæ. Si cut S. Doctor ſapientiſſimè poſuerit exemplum in quo ignoratio non videtur poſſe vacare culpâ. Alterum affert exemplum, quando *negligens eſt in examinatione ſuiipſius.* In utroque autem exemplo eſt ignoratio vincibilis : & tunc concludit hoc modo : *& ſic nihilominus peccat peccator ſumens Corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum.* Ignorantia autem invincibilis, ne ex mente quidem Adverſariorum ſaltem aliquorum , aut plurium , eſt peccatum. Manifeſtum igitur eſt S. Doctorem agere de vincibili, neq; adeò loqui de invictâ juris naturæ.

Ignorationis verò, quæ culpâ caret , tres ponit caſus.

casus. 1us. Est, quando sumens Corpus Christi, *doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus : & in tali casu, inquit S. Doctor, non peccat sumendo Corpus Christi : quia homo per certitudinem scire non potest, utrum sit verè contritus : sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris.* Ità S. Doctor.

Quæro hic ab Adversariis , quando quis non scit *utrum sit verè contritus:* an censeant illam ignorationem esse juris naturalis, an verò positivi juris aut facti ? si dixerint esse ignorationem juris naturalis, ergo datur talis liberans à culpâ. Si verò dixerint esse facti aut juris positivi non magnoperè refragabor, quia vel sic nihil est in loco, quod nobis obsit. At lubet tamen hic Adversariis exponere scrupulum quemdam qui me dubium tenet. Vulgò dicunt ipsi contritionem perfectam differre ab imperfectâ, quod illa sit intensior; hæc verò minus intensa. Quæri igitur ab Adversariis potest, quot gradibus intensa debeat esse contritio, ut perfecta sit? sicut quæritur quantũ exigere possim in contractu census, ut justus sit ? Quemadmodum enim, seclusâ extraordinariâ Dei permittentis voluntate , qualis alicui fortasse videri posset illa fuisse deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam... sed alieno,* certa sunt pretia, certæ conditiones contractuum, ut justi sint : sic, si æquitatem quamdam spectare velimus, quam natura ipsa docet, certa videtur requiri præparatio in peccatore, qui mortali crimine Deum offenderit, ad veniam obtinendam: quamvis illâ æternâ

&

& necessariâ pœnitentiæ lege solus fortassis peccator pro se obstrictus sit, possitq; Deus, extraordinariâ quâdam suâ voluntate solus per se peccata remittere de quo dubitant & disputant Theologi. Tenetur autem illâ lege peccator, vel propter charitatem ergà se, vel propter qualemcumque justitiam, quâ debet se convertere ad Deum: atque adeò, si quis absente confessario, ignoraret, qualis deberet esse illa præparatio animi, & ex illâ ignoratione jam jam v.g. moriturus, omitteret contritionem perfectam excitare: profectò ille dicendus videtur ignorare, & omittere, id quod eo temporis punctò lex quædam naturalis & æterna ab ipso præstandum esse non obscurè docet. Nos itàque dicimus isti naturali legi satisfacere eum, quicumque in se excitat contritionem, quæ perfecta sit, per charitatem, quamvis remissam: secus verò si dolor tantummodò ex metu gehennæ, aut ex turpitudine peccati, & non ex charitate procedat: dicimus autem id presertim in eo, qui nunc est, rerumcursu, & relictâ ordinariâ Dei voluntate & providentiâ. Quæstio proinde facti erit, an aliquis habeat hujusmodi contritionem perfectam? sed Adversarii, quamvis in quæstione facti certum alicui sit, se habere contritionem & charitate intensam v.g. ad 50. gradus ex 100. ignorant tamen adhuc, an ejusmodi contritio, ea sit, quam lex illa, de quâ egimus, præscribit. Ille ergo qui vult sumere Corpus Christi, de quo D. Thomas ait, si certò sciret contritione suam ex sincerâ in Deum cari-

caritate ortam quantum ad factum attinet, esse intensam 50. gradibus ex 100. quamvis dubitare non posset ex nostrâ & communiore sententiâ de quæstione juris; quin haberet convenientem animi præparationem ad veniam obtinendam, dum abest occasio confitendi peccata sacerdoti: tamen ex sententiâ Adversariorum in quæstione juris ignarus maneret: ignorant enim Adversarii an non 55. gradus intensionis fortè necessarii, ad id sint. Et tamen D. Thomas docet hunc sic sumendo corpus Christi & agendo ex tali ignoratione non peccaturum: ergo si loquamur ad hominem, in sententiâ Adversariorum ignorantia aliqua juris naturalis excusat peccatum. Nam in illorum sententia videtur homo ille habere ignorantiam juris & legis cujusdam naturalis: cum in nostrâ & communiore sententiâ tantummodò habeat ignorantiam facti. Apud nos enim non ambigitur qualis aut quanta contritio requiratur, sicut ambigitur & ignoratur apud Adversarios. Perlubenter audiemus, si quid Adversarii allaturi sint ad scrupulum hunc tollendum, qui in re non satis ab ipsis explicatâ, nos dubios, & incertos reddit. Non tamen nobis oberit, quamcumque in partem quæstio hæc decidatur.

2dus. Casus sic exponitur: *si verò ignorat id quod fecit esse actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excusat (puta si accessit ad non suam, quam credebat esse suam) non est ex hoc dicendus peccator.* S. Doctor sapientissimè hic iterum exemplum certissimum affert ad rem declarandam. Neque hic etiam

simpliciter dicit *propter ignorantiam facti*, sed talem vult *quæ excusat*, sciebat enim aliquam v. g. vincibilem non excusare.

3um. Casum sic ponit. *si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad ejus deletionem generalis contritio.* Ità D. Thomas: sed intelligi non potest, quomodo generalis contritio efficere possit, ne velim peccare, quando errore insuperabili ignoro quidpiam esse peccatum: neque adeò excludit voluntatem peccandi. Neque ergo hæc contritio delere peccatum potest, factum ex tali ignorantiâ: imò si illud mortale sit, nullum aliud mortale peccatum deleri poterit. Non enim deletur unum sine alio.

Præterea non delebit illa contritio peccatum si satis intensa non sit. Fingamus nunc illam debere habere gradus 70. ex 100. ut satis intensa & perfecta sit. Si itaque aliquis non attingat 70. gradum, quia putat gradus 50. satis esse ad perfectam contritionem, nullum ejus delebitur peccatum, ne illud quidem, cujus oblitus est. Facilè autem id putare poterit, cum Adversarii nil certi statuere possint. Poterit itaque sæpè accidere, ut generalis contritio non deleat peccatum illud. Si itaque D. Thomas, censuisset, quod censent Adversarii, non videtur debuisse tam universè pronuntiare, quod ad peccati, cujus oblitus es, deletionem, sufficit generalis contritio.

Atque ex his, ni fallor, satis patet mens Angelici Doctoris, qui ubique est constans in suâ sententiâ,

sententiâ, quam toties disertissimè tradidit, sicut vidimus supra.

ARTICULUS II.

De quodlibeto 8. articulo 13.

71. VErba Doctoris Angelici, quæ nobis ex hoc loco objiciuntur, sunt hæc: (a) *illud autem quod agitur contrà legem, semper est malum nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Titulus verò articuli est: *utrum ille, qui habet plures præbendas, peccet.*

Respondeo itaque, quod S. Doctor ibi loquatur de conscientiâ, quæ errat & ignorat vitio & culpâ suâ. Hoc patet 1. quia agit de eo, *qui facit contrà opinionem magistrorum*, sicut disertè dicit 2. quia is, qui scit magistrorum opinionem esse contrariam, sæpè laborat ignorantia vincibili. 3. Quia tales proni sunt, ut se exponant periculo, nam, ut S. Doctor sibi objecerat, *iste committit se discrimini*, si videlicet negligens sit in veritate indaganda. 4. Quia eodem articulo distinguit conscientiam sive ignorantiam innocentem & insuperabilem, & eam quodammodò opponit nocenti & vincibili, decernens de primâ, quod videatur excusare. De secundâ quod non excuset. De primâ autem loquitur his verbis. *Sed contrà: potest esse, quod in tali casu aliquis adhibet diligentiam, inquirens an habere plures præbendas sit licitum,*

(a) *Epist.* §. 10.

licitum, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod sit illicitum. En ignorantiam innocentem & invincibilem, de quâ sic concludit: *ergo videtur quod sine peccato possit duas præbendas habere.* Ità S. Doctor consentaneè ad sententiam communem.

Ne quis tamen fortassis inferret, non peccari ab eo, qui sciens contrariam Magistrorum opinionem, *in tali casu* non *adhibet diligentiam*, nec inquirit an sit licitum, ideò deinde subjunxit illas divisiones, & distinctiones.

Ità ut, si habere duas præbendas sit contrà jus naturæ, videatur hoc articulo controversia decisa contrà Adversarios. Nam & statuitur, quod ignoratio illius juris dari possit innocens & invicta, in casu scilicet, quo *aliquis adhibet diligentiam, inquirens an.......... licitum sit, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod sit illicitum.* Et concluditur: quod tunc videatur, *quod sine peccato possit duas præbendas habere.*

Si verò velint Adversarii, id tantummodò esse contrà jus positivum, considerent an non contrà se æquè, atque contrà nos pugnent.

ARTICULUS III.

De quodlibeti 9. *articulo* 15.

72. IBi sic loquitur D. Thomas: (*a*) *quædam enim sunt quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi*

(a) *Epist.* 5. 10.

hujusmodi, quæ nullo modo benè fieri possunt. Ex quibus Adversarii colligunt, illa semper esse peccata, etiam quando ignorantur esse peccata.

Titulus hujus articuli hic est: *utrum habere plures prabendas sine cura animarum absque dispensatione sit peccatum mortale?*

Ad hoc respondet Angelicus Doctor: *dicendum quod omnis quæstio, in quâ de mortali peccato quæritur, nisi expreßè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortalè, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto.* Itâ S. Doctor. Porrò intelligendus est error vincibilis. Nam ut suprà num. 17. clarissimè demonstravimus, ignorantia invincibilis, sive, *quæ causat involuntarium tollit rationem boni & mali moralis. Omnino excusat à peccato: peccatum non minuit, sed aufert, quia totaliter voluntarium tollit.* Adde quod loquatur hic de errore in quęstione cujus veritas expressè non habetur: & paulò infrà dicit *veritatem ambiguam esse.*

Posteà S. Doctor propius accedit ad quæstionem, & dicit, quod *hæc quæstio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali; & ad juristas in quantum dependet ex jure positivo.* Hic locus spem nobis facit fore, ut Adversarii tandem aliquando cessent dubitare, an detur ignorantia juris naturalis: nam Angelicus Doctor paulò antè dixerat *veritatem ambiguam esse* in hac quæstione. Hic dicit illam dependere ex jure naturali: & mox subdit: quod *inveniuntur in eâ Theologi Theologis contraria sentire.* Ignorat itaque

que alterutra pars veritatem istius juris naturalis, etiam post studium perdiligens: nisi Adversarii malint alterutram partem peccati damnare, juxtà ea quæ diximus num. 41. & 45.

Sed Lectori gratum erit haud dubiè, si paucis totam Angelici Doctoris ratiocinationem ob oculos ponam, non parum enim inde lucis accedet ad sententiam communem.

Dicit ergo 1. quod illa quæstio de præbendis, spectato jure divino, *non invenitur determinata expressè, cum in S. Scripturâ expressa mentio de eâ non fiat* 2. *Determinando verò*, inquit, *eam secundum jus naturale, sic videtur ad præsens de eâ dicendum; quod actionum humanarum multiplex est differentia, Quædam enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo benè fieri possunt, de numero talium non est habere plures præbendas, alias in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit*, Ita D. Thomas.

Sic autem ex his Adversarii ratiocinantur, vel ratiocinari debent. Ex mente S. Thomæ, quædam sunt, quæ habent deformitatem inseparabilem annexam, ut adulterium, &c. Quæ nullo modo benè fieri possunt. Atqui talia sunt omnia, quæ præcipiuntur jure naturali. Ergo hæc omnia nullo modo benè fieri possunt. Ego illam ratiocinationem convello verbis S. Thomæ, quæ ab Adversariis prolata non fuerunt, & nego minorem, quia S. Thomas mox asserit, non esse de numero eorum, quæ habent deformitatem inseparabiliter

ſeparabiliter annexam, habere duas prebendas, quæ eſt tamen quæſtio etiam juris naturalis, ſi Angelico Doctori velimus aſſentiri. Sed pergamus ad cetera, quæ habet.

Quædam verò, inquit, *ſunt actiones, quæ de ſe indifferenter ſunt ad bonum & ad malum, ut levare feſtucam de terrâ, vel aliquod hujuſmodi, inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas: dicentes: ità licitum eſt habere plures præbendas ſicut habere plura poma. Sed hoc non videtur eſſe verum.* Ita S. Doctor, qui variis rationibus ex jure naturali petitis, oſtendit id non videri eſſe verum. Ac tunc tandem ad tertiam actionum differentiam tranſit, his verbis,

Sunt verò quædam actiones, quæ abſolutè conſideratæ deformitatem, vel in ordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bonæ efficiuntur: ſicut occidere hominem........ in numero talium actionum videtur eſſe habere plures præbendas......... & tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus, cum rectâ intentione non erit peccatum, etiam nullâ diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantùm ſecundum jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolum ad poſitivum...... Nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum........... ſi ergò antiqua jura, quæ hoc prohibent in ſuo robore maneant........ certum eſt non poſſe aliquem plures præbendas habere abſque diſpenſatione, etiam illis circumſtantiis ſupervenientibus, quæ ſecundùm conſiderationem juris naturalis actum poterant honeſtare; ſi autem antiqua jura ſunt......... abrogata,

 tunc

tunc prædictis circumstantiis supervenientibus etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere, sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat, &c.

Hactenus est textus S. Doctoris, qui enervat Adversariorum argumentum, sicut ostendimus. Deinde in quæstione, quam dicit S. Thomas esse ambiguam, determinat id quod tutius non est, atque adeò, si principiis Adversariorum niti velimus, exponit se aliosque, periculo peccati & scandali. Atque ex his satis patet, quomodo totus ille articulus Adversarios ipsos oppugnet.

ARTICULUS IV.

De quæstione 3. de malo artic. 8.

73. S. Thomas ibi sic habet: *tollitur voluntarium, quantum ad id quod est ignoratum. Unde si in eodem actu aliquid sit ignoratum, & aliquid scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id quod est scitum, semper tamen est involuntarium, quantū ad id quod est ignoratum: sive ignoretur deformitas actus (puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatū, voluntariè quidem facit fornicationē, sed non voluntariè facit peccatū) sive ignoretur circumstātia actus, sicut cum aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam, voluntariè quidem accedit ad mulierem: sed non voluntariè ad non suam.* Quid clarius? quid aptius ad rem nostram dici poterat?

(*a*) Volui hunc textum pleniorem reddere, quia

(a) *Epist*. §.10.

quia Adversarii causantur, quod D. Thomas, parenthesim illam de fornicatione quasi obiter tantummodò posuerit: cum tamen reliquus textus videatur non minus fortiter urgere, quam parenthesis. Æquabiliter enim loquitur de ignoratâ deformitate actus, atque de ignoratâ circumstantiâ: & tamen quando ignoratur circumstantia actus v. g. cum aliquis accedit ad non suam, ipsimet Adversarii fatebuntur illum non facere peccatum propriè dictum, quod imputetur ad culpam, etiamsi revera facit id, quod jure vetitum est, igitur idem ex mente Angelici Doctoris dicendum est, dum ignoratur deformitas actus: adeoque sicut in uno peccatum non est voluntarium, sic nec in altero.

Prætereà hinc colligitur, quam alienus sit D. Thomas à recursu ad voluntarium Adami, nam si ejusmodi daretur recursus, non potuisset D. Thomas dicere, quòd in utroque casu peccatum non voluntariè fieret. Præterquam quod fortassis aliquibus ille recursus non videatur satis posse sejungi à Bajanâ 46. quæ sic habet: *Ad rationem & diffinitionem peccati, non pertinet voluntarium: nec diffinitionis quæstio est, sed causæ & Originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.*

(a) Sed nescio, cur Adversarii afferant locum, S. Augustini lib. 1. Retractat. cap. 15. Ubi sic loquitur: *qui nesciens non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen facit, quod enim nisi voluisset non fecisset,* non

(a) *Epist.* §. 10.

non coactus est facere, quia voluit: ergò fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit. Ità nec tale peccatum esse potuit sina voluntate, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit. Nescio, inquam, quid hinc subsidii possint sperare Adversarii. Consonat enim hic locus menti Doctoris Angelici, quam jam exposuimus. Quapropter non videtur necesse doctrinam planam & claram pluribus explanare.

Id modò memoriâ tenendum, quod peccatum actuale propriè dictum debeat fieri à *volente & sciente* sicut sæpius demonstratum est, atque adeò requiritur scientia & voluntas *peccati*, nec satis est habere voluntatem *facti*, sicùt patet in exemplis jam recensitis ex D. Thomâ. Ubi igitur adest sola voluntas facti, ibi est peccatum impropriè dictum, & ideò Augustinus illud non appellat simpliciter *peccatum*, sed *tale peccatum*.

Ergò magis & magis patet nullam apparere revelationis aut traditionis speciem de dogmate Adversariorum.

CAPUT IX.

De ceteris scholasticis.

74. SUperest declaranda mens aliorum scholasticorum.

(*a*) 1. Itaque adducunt in medium sententiarum

(a) *Epist.* 5.10.

rum magiſtrum. Ille, inquiunt, docet lib.2. diſt. 22. §.10. *Ignorantiam eorum, qui ſimpliciter neſciunt non excuſare à peccato.*

Reſpondeo, quod agat de ignorantia quoquo modo vincibili. Id enim perſuadet, dum dicit, *qui quaſi ſimpliciter neſciunt.* Vocem illam *quaſi* omiſerunt Adverſarii. Poſſent hæc confirmari ex iis, quæ idem tradit ibidem cap.4. ubi eos qui *quaſi ſimpliciter neſciunt* condiſtinguit contrà eos, *qui volunt* ſcire *& non poſſunt.* Hanc ignorantiam dicens excuſare, illam verò non plenè excuſare.

2. Objiciunt magnam turbam ſcholaſticorum antiquorum citatorum à vaſquez diſp.120. in 1, 2. cap.1. & diſp.122. cap.1. quibus adjunguntur Gregorius Ariminenſis, Cajetanus, Heſſelius, Eſtius. (a) Afferuntur autem nominatim verba Alphonſi à Caſtro lib.1. de poteſtate legis pœnalis cap.2. ubi ſic loquitur: *Theologi omnes concorditer docent ignorantiam legis naturæ neminem excuſare à tranſgreſſione legis naturæ, quia cum ſit homini inſita à naturâ, nullus, niſi qui per peccatum excœcatus fuerit, illam ignorare poteſt.*

Ut intelligatur mens iſtorum Theologorum, in memoriam revocandum eſt, quod ſuprà diximus num.39. Quarumdam legum juris naturæ, quales ſunt univerſales illæ & primariæ, non dari ignorationem invictam. Et hoc ſenſu explicari poſſunt Authores, ſi qui viſi ſunt abſolutè aſſerere, aut non dari ignorationem invincibilem, aut ignorantiam juris naturæ non excuſare.

Neque

(a) *Epiſt.* §. 10.

Neque mirum id accidat, quia tunc ignoratio est vincibilis, quæ ipsa peccatum est, & non excusat. Sed ut magis speciatim Adversariis respondeam, tria asseram, quæ probare conabor totidem articulis sequentibus.

ARTICULUS I.

An aliqui ex antiquis scholasticis negaverint dari ullam ignorantiam juris naturæ invincibilem.

75. Assero itaque 1. non ostendi Authores antiquos multos fuisse, qui negaverint dari ullam ignorantiam invincibilem juris naturæ: si tamen vel unus fuerit, qui negaverit dari invincibilem ignorantiam conclusionum juris naturæ, quæ à primis principiis remotiores sunt. Consideremus, si placet, authores sigillatim.

(a) In primis de Gersone id ostendi satis nequit. Nam tractatu de differentia peccatorum venialium & mortalium Consid. 18. sic loquitur: *alia ignorantia, quando quis fecit suam diligentiam secundum statum suum, & suum intellectum, ad sciendum id quod sciendum erat, & tamen non scivit totum hoc quod expediret sciri ad suum statum, & talis ignorantia excusat à toto peccatum; sicut ignorantia facti.* Ita ille, universè loquens: sic ut illis verbis: *& tamen non scivit totum* videatur complexus fuisse non tantum jus positivum humanum, sed etiam divinum, & naturale. Sunt enim multa in omni jure, quæ

(a) *Epist.* S. 10.

inda-

indaganda & ſcienda ſunt ad proprium cujuſque ſtatum. Quando itaque apud vaſquez diſp. 120. videtur docere, quod ignorantiaa juris divini non excuſet : ex quo mens ipſius de jure naturali etiam colligi poteſt; intelligendus eſt de ignorantia vincibili, quando ſcilicet, prout ipſe loquitur aliquis non *fecit ſuam diligentiam ſecundum ſtatum ſuum, & ſuum intellectum.* Patet verò hæc Gerſonis mens. Quia capitulo 4. agens de præceptis decalogi, atque adeò de jure naturæ, ſic pronunciat: *quorum ignorantia ex deſidiâ proveniens non excuſat.* Quibus verbis non obſcurè ſignificat, & poſſe eſſe ignorantiam non ex deſidia atque adeò invincibilem; & hanc excuſare ſi ex deſidia non ſit. Cur enim addidiſſet voces illas *ex deſidia*, ſi aliter ſenſerit ?

Gratianus verò, dum dicit quæſt. 4. ad caput Turbatur: *ignorantiam juris naturalis omnibus adultis eſſe damnabilem.* Explicari poteſt indefinitè de primis principiis juris naturæ.

Similiter de Alenſi ſentiendum, qui Gratianum ſecutus eſt, ejuſque verbis utitur. Et quidem part. 2. qu. 113. membro 8. *Laici*, inquit, *non tenentur ſcire de quolibet mortali explicitè.* Plura ſunt ibi & membro 7. quæ hæc confirment.

Tamen minus ſoliciti fuere ex antiquis nonnulli, ut diviſione uterētur, ſed minus definitè locūti ſunt, ſicut SS. Patres & ipſe Apoſtolus olim aliquandò non omnino circumſcriptè loquens, concupiſcentiam vocavit peccatum, quamdiu nemo malè abutebatur illo parum definito loquendi modo. At

At postquam Lutherus & alii ipsius sequaces cœperunt ex doctrina de ignoratione depromere conclusiones minus gratas Catholicis, tunc recentiores Theologi Catholicorum doctrinam communem & antiquam in sua membra accuratius, quam antè secuerunt, & ostenderunt in quibusnam negandum, in quibusnam affirmandum esset, ut sic Adversarios fortius possent constringere. Atque ità acre bellum exarsit Lutherum inter & Catholicos, quos ipse vocat *papæ scholas*, ut suprà diximus num. 6. & 49. Tridentinum item similem ob causam sess. 5. num. 5. declarare debuit numquam Ecclesiam Catholicam sensisse, quod concupiscentia esset peccatum propriè. Nimirum vera ac sana doctrina, quo acrius oppugnatur, eò magis solet illustrari, deffniendo, dividendo, distinguendo, & eadem explicatius proponendo. Cujus rei in Tridentino plura extant exempla.

Jam verò durandum non aliter, quam de primis illis juris naturæ principiis ità sensisse, illud apertè demonstrat, quod ipse in 4. dist. 33. quæst. 2. doceat fornicationem non esse malam ex lege naturæ, sed sólum ex jure divino positivo: in quo tamen alii ei contradicunt: & sibi contradici ipse haud dubiè scivit. Scivit itaque vel se, vel alios ignorare illam quæstionem. Credibile proinde non est ipsum judicasse, non posse esse invictam ignorantiam legum juris naturæ, quæ à suis primis fontibus valdè sunt remotæ.

Restat Alphonsus à Castro, qui videtur simili ratione explicandus. Quis enim credat, illum censuisse,

fuisse, quod illis, qui per peccatum excœcati non sunt, Deus indiderit aut revelaverit veritates quæstionum tam reconditarum, de usura, mutuo, contractibus, aliisq; rebus abstrusis? & ideo ferè agit de iis, quæ in decalogo continentur, sicut videri potest lib. 1. de potest: legis pœnal. cap. 2. & lib. 2. c. 14. deberet autem de his astrusis haberi certa notitia, nam siquis solum dubitet aut suspicetur, non poterit in multis casibus non peccare agendo in doctrina Adversariorum. Exponet enim se periculo peccandi: sicut ostendimus num. 45. Neque Vasquez aliter de eorum mente judicasse censendus est, ob easdem causas, quando illos citavit disp. 122. sed tantum eos citavit, ut ostenderet illos indefinitè, prout jam diximus, negasse dari ignorationem juris naturæ.

Ipsemet Alphonsus à Castro, ità se explicat, ut nullus nobis relinquatur dubitandi locus. Examinat ibi definitionem quam Cicero tradit de lege, & postquam illam impugnasset, subdit hæc verba: *sed in excusationem Ciceronis dici posset omnem legem esse insitam in natura, propterea quod in ipsâ naturâ sunt insita principia legis naturalis: à quibus reliquæ omnes leges derivantur...... aliquæ enim, si...... sicut conclusiones producuntur à principiis per medium bonæ consequentiæ. Talis est lex prohibens usuram, quæ ex prohibitione furti proximè derivatur......... talis est lex, quæ fraudem alteri fieri prohibet, & fraudem nemini opitulari præcipit.* Vide plura ibi in hanc rem, ex quibus patet, quod ex mente Alphonsi à Castro, &, ut ait, ex concordi Theologorum doctrina, nemo

mo ignorare possit illa prima principia, quæ secernit ab aliis legibus etiam naturalibus, quales sunt v.g de usurâ, quę ignorari possunt. Juvat igitur magis nos Alphonsus à Castro, dum non obscurè indicat, consensum Theologorum istius temporis, quod possint leges naturales aliquæ ignorari.

Citat prætereà vasquez in hanc rem, quos adduxerat disp. 120. pro sententiâ asserente non dari ignorantiam invincibilem juris divini: in quantum per jus divinum intelligitur jus naturale decalogi. Citantur verò disput. 120. præter jam adductos Bonaventura, Guilielmus Parisiensis, Adrianus & Hugo de S. Victore: Albertus, Altisiodorensis, Gabriel, sic tamen, ut fateatur de his ipse vasquez, quod non omnes apertè docuerint non dari ignorantiam juris divini invincibilem: neque adeò ex mente etiam ipsius vasquez judicandi videntur censuisse apertè non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ: patebitque id magis ex assertione 3. in quâ ostendemus Albertum magnum, Gabrielem, Altisiodorensem & Adrianum docuisse dari ignorantiam aliquam juris naturæ invincibilem.

De Gabriele etiã, de Alensi, & de S. Bonaventurâ dici potest, cum vasquez ipse fateatur, illos tantũ docuisse, non dari ignorantiã invincibilem eorũ, quę sunt necessaria ad salutę, inde non rectè inferri, quod hoc ipso docuerint, nõ dari ignorantiam aliquã invincibilẽ juris naturæ: cum (ut ostendetur in assertione tertiâ) Adrianus expressè docuerit

non

non dari ignorantiam invincibilem in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, & eo non obstante etiam docuerit dari ignorantiam invincibilem in aliis, quæ non sunt scitu necessaria ad salutem. Supersunt itaque ex citatis à Vasquez disp. 120. soli Guilielmus Parisiensis, & Hugo de S. Victore.

Verum cum Guilielmus Parisiensis, ex uno eodemque motivo, æquè neget ignorantiam invincibilem facti, ac ignorantiam juris naturalis, excusare à peccato, ut videre est ex iis, quæ tradit de legibus cap. 25. ubi dicit, non excusari à peccato illum, qui accedit ad alienam putans esse suam, aut qui adorat diabolum sub specie Christi apparentem. Item cum Hugo de S. Victore ex uno eodemque motivo æquè neget ignorantiam juris divini positivi, ac ignorantiam juris naturalis, ut videre est ex iis, quæ tradit l. 2. de Sacram. p. 6. c. 5. ubi negat excusari homines procul degentes, qui præceptum baptismi non audierunt: cumque prædicti duo Auctores id doceant nixi unico illo fundamento, nempe quod talis sit Dei misericordia, ut in similibus homines illuminet, si culpa in iis non obstet: unde sequitur illos non posse excusari: cumque passim jam alii illud fundamentum non admittant, non videtur quoque posse eorumdem prædictorum Doctorum auctoritas allegari pro sententiâ, quæ negat dari ignorantiam aliquam juris naturæ invincibilem.

Ex quibus patet non ostendi Auctores anti-

quos multos fuisse, qui negaverint dari ullam ignorantiam invincibilem juris naturæ: si tamen vel unus omnem ejusmodi ignorationem negaverit.

Addere quidem prædictis auctoribus conatur Sinnichius in suo Saule lib. 1. cap. 96. Cajetanum, quasi & ipse doceret in 1. 2. qu. 76. ar. 4. ignorantiam juris naturæ invincibilem, non excusare à peccato. Sed isto loco nil habet Cajetanus, quo id docet. Imò videtur docuisse oppositum dum 1. 2. qu. 6. art. 8 item in summâ v. inconsideratio. Docet eum qui actualiter non advertit contractum, quem init, esse usurarum mortaliter non peccare, formaliter scilicet sive peccato propriè dicto.

Addit item Sinnichius Hesselium. Sed quidquid de illo sit (refertur enim in Historiâ Concilii Tridentini lib. 15. c. 7. illum cum Michaële Bajo, suis sententiis & doctrinâ, curas gravissimas metusque objecisse Patribus Concilii Tridentini, & Summo Pontifici; & Ruardum scriptis Theologicis celebrem, solitum fuisse dicere, non expectare se ab illis, nisi schisma) non videtur ipsius authoritas magni facienda, ne cum Estio quidem, qui ab aliquibus etiam adjicitur istis auctoribus. Quamquam & hujus doctrina in hoc puncto posset videri minus probata, cum is fuerit Baij discipulus, qui, ut mox ostendetur, dedit occasionem non unius erroris, in hac aliisque materiis. Unde quando dubitavimus, an vel unus sit, qui doctrinam Adversariorum tradiderit,

de

de hujusmodi Bajo amicis sermo nobis non fuit.

Agmen & articulum hunc claudat Gregorius Ariminensis in 2. dist. 29. art. 2. ubi sic loquitur: *Constat quod secundum communem cursum quilibet homo, cum primò venit ad annos discretionis habeat ignorantiam eorum agendorum, quæ pertinent ad vitam moralem, ut moralis est, judicans frequenter agendum esse, quod vitandum est, & contra.* Hæc ille, confirmans ea quæ dixit his verbis: *& hoc experientia manifestat.* Non est autem obscurum ipsum agere de ignoratione insuperabili.

ARTICULUS II.

An aliqui admittentes dari ignorantiam invincibilem juris naturæ negaverint illam umquam excusare à peccato.

76. Assero 2. non ostendi auctores antiquos multos fuisse, qui admittentes dari ignorantiam juris naturæ invincibilem, negent illam à peccato excusare: si tamen vel unus id negaverit. Sermo tamen mihi non est de Baii & Jansenii amicis: multò verò minimè de Luthero, ejusque sequacibus.

Nam non ostenditur vel unus inter auctores Catholicos antè Bajum & Jansenium, qui ad rationem peccati non requisiverit voluntarium. Imò ostenditur passim omnes Doctores & Scholasticos illud requisivisse.

Ante Bajum, inquam, & Jansenium. Quod enim Bajus docuerit ad rationem peccati non pertinere voluntarium, patet ex prop. 46. inter ejus damnatas, quæ est hæc: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Item ex prop. 68. quæ est hæc: *Infidelitas purè negativa, in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Et quamquam Bajus cum humili demissione animi doctrinam hanc suam retractaverit, ipsaque à duobus Pontificibus fuerit condemnata: non fuit tamen veritus Jansenius Iprensis, non sine gravi contemptu Sedis Apostolicæ, & omnium bonorum scandalo (in quo secutum eum vult malum exemplum Professoris sui Jacobi Jansonii Antonius Moraines) iterum in lucem protrudere præcipua quædam illius capita, in suo Augustino, & dicere, ut narratur in historiâ Concilii Tridentini l.15. c.7. videri sibi vix quidquam quod mutari à S.Sede in suis sententiis possit.

Quod autem Jansenius rursum hanc doctrinam de peccato non voluntario protruserit, patet id nominatim ex tomo ejus 2. de statu naturæ lapsæ lib. 2. cap. 2. cui præfigit hunc titulum. *Ignorantia etiam, quæ necessitatis est, & non voluntatis, hoc est, invincibilis, non caret peccato.* Quod dein docet aliquot capitibus sequentibus. Patet id rursum ex cap. 4. ibidem, quod sic exorditur: *Sed hic gigantea excurrit moles, & ut videtur, nodus insolubilis: quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque scit neque scire potuit, nec voluntate sive volente sive torpescente talis ignorantiæ causam dedit:*

hujusmodi

hujuſmodi enim peccata, jam non erunt nequidem voluntaria, & quis credat tale portentum, doctiſſimum ſanctiſſimumque virum (Auguſtinum intelligit) *docere potuiſſe*? Ita ille: qui ibidem hanc doctrinam vocat, *arcanam, tremendam* &c.

Quod autem non oſtendatur vel unus antè Janſenium & Bajum ex Catholicis, qui iſta docuerit, patet 1. ex ipſo Gregorio Ariminenſi, de quo Chriſtianus Lupus S.T. Doctor Lovanienſis auſus fuit pronuntiare in publicis theſibus 29 Aug. 1641. quod nullam aut certè vix ullam capitalem concluſionem ex Auguſtino elicuerit Janſenius, quam non antè in terminis elicuerit Gregorius. Ille igitur Gregorius in 2. diſt. 29. qu. 1. art. 2. ſic ſibi objicit: *Secundùm omnes Doctores non imputantur homini quæ ex ignorantiâ ſimpliciter invincibili committuntur.* Nota. *Secundum omnes Doctores.* Fateturque id eſſe verum, quando ignorantia non provenit homini ex peccato, cujus ipſe fuit reus. In quo tamen ultimo ab ipſo diſſentiunt communiter Auctores, præeunte S. Aug. lib. 22. contrà fauſtum. Cap. 44. ubi ait: *Inebriaverunt eum* (filiæ Loth) *& ſe neſcienti miſcuerunt quapropter culpandus eſt quidem, non tamẽ quantum ille inceſus, ſed quantum illa merebatur ebrietas.*

Patet 2. ex ipſo Janſenio, qui lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. ſic loquitur. *Generale Scholaſticorum pronuntiatum eſt, quod quidquid ex invincibili fit ignorantiâ, hoc ipſo, culpâ vacat.* Nota. *Generale Scholaſticorum pronuntiatum eſt.* Nolent, ut, puto, Adverſarii, contradicere ſuo illi vel

magistro, vel duci primario.

Possunt etiam hæc confirmari magis ex omnibus eisdem Auctoribus, antiquis Theologis, & præcipuis, quos citat Thomas Sanchez lib. 1. Moral. cap. 16. n. 21. & longè pluribus, quos citat Vasquez 1.2. disp. 107. cap. 3. quos omnes dicit Vasquez in terminis expressis docere, quod voluntas in opere particulari non peccet mortaliter peccato propriè, ac ratione sui imputabilis, quando nulla actualis advertentia, nec specialis, nec confusa malitiæ moralis, vel periculi præcessit, vel saltem dubitatio aliqua, vel scrupulus.

Conatus est quidem Antonius Celladeus in libro suo, quem Lugduni edidit 1670, persuadere, ac si Sanchez citando antiquos omnes Doctores pro se, fuisset hallucinatus: sed Antonius Tirillus in Tractatu de regulâ morum edito Leodii 1677. quæst. 63. ass. 4. ipsum Celladeum, non Sanchez, ipsis antiquorum verbis antè oculos legentium positis, deceptum esse ostendit.

Potest denique hæc 2. Assertio non parum stabiliri ex ipsis Theologis Lovaniensibus, qui postquam Jansenio in hoc puncto per omnia consensissent, fatentes illam doctrinam nimis duram videri, professi tandem sunt se potiùs docere omnem ignorantiam juris naturæ esse vincibilem, quos secutus est Macarius Havermannus, cujus verba dedi suprà in procemio, si tamen hic censendus non est antesignanus.

Atque ex his patet veritas Assertionis 2.

AR-

ARTICULUS III.

Quinam & quot Scholastici stent pro doctrinâ communi.

77. **A**Sfero 3. multos Auctores antiquos & recentiores, imò quasi omnes (si Baii & Jansenii sequaces iterum excipias) docere juris naturæ invincibilem ignorantiam, quàm admittunt, excusare à peccato.

Id constat 1. ex verbis B. Alberti Magni, quæ habet in 2.sent.dist.22.art.1.ubi dicit: *Quoddam est jus universale, quod omnibus imponitur ad sciendum* (quibus satis innuit se loqui de jure naturali) *& quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium, & puto quod prima* (ignorantia scilicet) *est crassa & supina non excusans, secunda autem excusat, vel à tanto, vel à toto; si est casus multum difficilis.*

De S.Thomâ jam egimus sæpius.

Constat igitur 2. ex verbis Almaini, & Altisiodorensis, quem verba ejus referens pro se citat Almainus in Moralibus cap. 4. ubi sic habet prop. 1. conformiter ad S.Thomam, & B.Albertum: *Non potest reperiri ignorantia invincibilis in his quæ sunt juris purè naturalis universalis in aliquo utente ratione* .... quibus subnectit, absque ullà distinctione propos. 5. de quocumque jure non universali; adeoque & de jure non universali naturali: *Ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti excusat omnino à peccato, quando ratione illius provenit*

tota malitia in actu hoc est, actus, qui fit totaliter ex ignorantiâ invincibili omnium circumstantiarum causantium malitiam, est totaliter involuntarius, & per cõsequens non peccat .... Vnde dicit Altisiodorensis, quod quilibet qui peccat, tenetur scire, quod peccat, vel dubitare: si ergo pro tali tempore non potest deponere illã ignorantiã, nec tenetur dubitare an sit peccatum: talis operatio non est difformis dictamini recto, ergò non est mala.

3. Favet Gabriel in 2. dist. quæst. 2. not. 3. concl. absq; ullâ item distinctione juris particularis, sive naturalis, sive divini, sive humani ponens hanc conclusionẽ: *Ignorantia invincibilis præcedens voluntatis actum, sive positiva sive negativa, sive juris sive facti simpliciter excusat à peccato, non solum in tanto, sed in toto.*

4. Confirmatur clarè ex Adriano, qui quodlib. 1. art. 3. in Alph. 1. lit. H. sic loquitur: *Ex his credo probabiliter dicendum, quod sincero affectu salutem animæ suæ quærens, si consilio magistri, vel egregii illius Doctoris Hugonis de S. Victore, propter scandalum vitandum non veræ uxori debitum reddiderit, excusatur à peccato: etiamsi eorum opinio sit erronea.* Et ratio ipsius est, quod licet homo faciat totum, quod in se est, tum per inquisitionem veritatis, tum per orationem, Deus tamen non decreverit talem specialiter illuminare, nisi in necessariis ad salutem, prout indicat in quodlib. 2. qu. 2. argumentis ad 2. *Ignorantia non excusat, quod intelligo de iis, quæ tali necessaria sunt ad salutẽ. Alias numquam error etiam invincibilis excusaret, quem tamen patiuntur multi existentes in charitate. Nec semper edocemur à spiritu S. in talibus:*

quo

quo casu intelligendum existimo illud. Ioan. 9. si cæci essetis non haberetis peccatum. Similia habet quodlib. 4. Alphab. 3. l. E. & l. G.

5. Potest confirmari assertio auctoritate communi Thomistarum. Nam pro sententiâ Adversariorum soli ex Thomistis adferuntur Cajetanus & durandus, quos tamen ne quidem rectè pro Adversariorum sententiâ produci posse supra ostendimus num. 75.

Dari ignorantiam aliquam invincibilem juris naturæ contrà Sinnichium Doctorem Lovaniensem in Saule Exrege l. 1. cap. 96. clarissimè ex Thomistis probarunt nuper Alexander Sebille in Interprete Thomistico lib. 2. c. 11. Item Thomas Leonardi & ipse DoctorLovaniensis ac Sinnichii Collega lib. 2. de hominis institutione cap. 7. Clarissimè idem tradidit jam pridem Thomista celeberrimus Bartholomæus de Medina apud Salmanticenses primariæ Theologorum cathedræ præfectus, cujus hæc est 3. concl. in 1. 2. qu. 7. 6 ar. 2. *Circa alia præcepta naturalia, quæ eliciuntur ex præceptis decalogi per consequentiam & argumentationem non valdè evidentem, sed multo labore inquisitione potest esse ignorantia invincibilis per multum tempus, nisi de hujusmodi veritatibus ab alio erudiamur, & illuminemur. V. g. an sit licitum habere plures uxores; an fornicatio simplex sit licita, anne sit licitum vindicare proprias injurias. Nam Cicero vir sapientißimus 1. de offic. cap. de justitiâ dicit: primum munus justitiæ esse, ne quis aliquem lædat, nisi lacessitus injuriâ: existimat ergò licitam esse vindictam*

propriâ authoritate, quando lacessimur injuriâ. Subnectit verò. *Ratio hujus propositionis est; quia ex errore & consuetudine vulgi, insuper ex ingenii tarditate non potest homo ità cito advertere inordinationem in hujusmodi actibus.*

6. Denique roboratur hæc assertio communi auctoritate non tantum Thomistarum, sed omnium scholarum & auctorum ad locum D. Thomæ 1.2.qu.76.ar.4. Inter quos est etiam Sylvius magni nominis Doctor Duacensis, qui ad illum locum S. Thomæ qu.2.concl.4. sic docet: *Quædam sunt juris naturæ præcepta obscuriora, quæ saltem ab infidelibus possunt totâ vitâ ignorari invincibiliter, quia non solum Ethnici, nec solum indocti, sed etiam Christiani & docti, de quibusdam eorum opinati sunt, quod non sint jure naturæ* prohibita. Ità ipse.

Et certè Augustinus etiam in similibus quæstionibus dubius interdum hæsit, de quo suprà luculentum testimonium retulimus n. 13. in adulterino concubitu Antiochiæ, cum assensu mariti perpetrato. De quo sic ait: *Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit.* Plura de hoc vide supra loco citato.

Ex quibus patet meritò dixisse Jacobum Stackerum Doctorem Friburgensem Cathedralis Ecclesiæ Passaviensis Canonicũ neminem prudenter amplius negare posse, quin aliqua sint, quæ ex principiis notis lumine naturali difficilius deducãtur, & hęc invincibiliter & inculpabiliter ignorari posse præsertim à rudioribus. Illum autem sic judicasse patet nominatim ex iis, quæ habet tom. 2.

com-

Commentationum Theologicarum Tract.2. qu.94. disp. ubi sic habet: *Colligitur* 11. *quid dicendum sit ad quæstionem illam: utrum præcepta legis naturalis possint ignorari invincibiliter? duplicia enim sunt præcepta legis naturalis. Quædam prima, & universalissima; quæ nullo modo, nedum invincibiliter ignorari possunt. Quædam verò particularia, & quæ ex illis deducuntur, in quibus distinctione opus est. Alia enim sunt, quæ vel per se nota sunt; vel ex per se notis facillimè colliguntur; & hæc ignorari quidem possunt, non tamen inculpabiliter, saltem per longum tempus. Hujus generis sunt præcepta decalogi, & similia. Ità indicat D. Paulus ad Rom.2. quando Gentiles, qui præcepta hæc transgrediuntur, vocat inexcusabiles, & propter peccata sua datos in reprobum sensum. Alia verò sunt quæ majori indigent discursu, & ex principiis notis lumine naturali difficilius deducuntur. Et hæc invincibiliter ignorari posse, præsertim à rudioribus, nemo prudenter negabit. Legi possunt corduba l.2. qu.4. sotus lib.1. de justitiâ, qu.4. art.4.*

Quis ex his omnibus non videat ingentem nubem testium pro doctrinâ communi, contrà novum dogma Adversariorum, quod antè tempora Baji & Jansenii antiquioribus Catholicis Doctoribus vix, imò ne vix quidem notum fuit. Quis enim libertatem & voluntarium ad malitiam personalis peccati necessarium ad Adamum retulit? Tot Catholicos auctores nominavimus, quis eorum istius relationis meminit?

Patet denique quam non immeritò Lutherus, (nam hic aliique non Catholici antè Bajum & Jansenium

Jansenium similia etiam docere cœperunt) Catholicos scriptores, quos papæ scholas vocat, sibi infensos esse senserit.

Nullum itaque hactenus revelatæ à Deo arcanæ illius & tremendæ doctrinæ testimonium afferre potuerunt Adversarii, imò ne traditionis quidem vestigium ostendere. Sed potius contraria ipsis demonstrata est communis omnium constansque consensio. Quam etiam in hac quæstione non ignoravit ipse Jansenius Iprensis, nam lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2. sic loquitur: *Generale namque videtur scholasticorum pronuntiatum esse, quod quidquid ex invincibili fit ignorantiâ, hoc ipso culpâ vacat.*

CAPUT X.

De Pontificibus, & Conciliis.

78. Hic Adversarii in aciem producunt Bonifacium VIII. (a) tamquam antesignanum omnium Pontificum qui deinceps regulas ipsius sunt secuti: ità ut, (sic enim loquuntur) tot vindices sententiæ suæ Adversarii adducere possint, quot à Bonifacii VIII. tempore Ecclesiæ regendæ præfecti fuere. Formidanda enimverò auctoritas, terribilis castrorum acies ex ipsis summis Pontificibus, quorum singuli aciei instar sunt, ordinata.

Sed quid Bonifacius VIII. dixit? nam ceteri omnes

(a) *Epist.* §. 10. & 15.

omnes ipſum ſecuti dixerunt idem. Dixit, inquiunt, Adverſarii, tit. de regul. juris reg. 13. in 6. *Ignorantia facti, non juris excuſat*: Liceat mihi per Adverſarios unam modò ſequelam ſubnectere: ergò ignorantia juris poſitivi non excuſat. En quò recidat tanta belli moles? Neſcio an operæ ptetium ſit addere verbum. Dicamus tamen paucis, ibi agi de præſumptione in foro externo. (a) *Probat hac regula* (inquit Barboſa hic num. 23.) *in hac ſecunda parte ignorantiam juris non præſumi, ac proinde non excuſare*. Atqui noſtra quæſtio non agit de præſumptione juris in foro externo: ſed de peccato interno Theologico. Nihil itaque regula illa facit ad rem: ſimili ferè modo refutatur illud, quod ex decreto Adverſarii objiciunt, ubi in C. Turbatur 1. q. 4. dicitur ignorantia juris *naturalis omnibus adultis damnabilis eſt*. Sic enim, ſi Adverſariis placet, concludam: ergo non tantum quod fit ex ignorantia juris naturæ, ſed omnis etiam ignorantia juris naturæ damnabilis eſt, & proprii nominis peccatum, quod tamen ipſimet §. 9. & 13. Ep. negare videntur. Imo in eodem capite de ignoratione Judæorum ignorantium prophetias eſſe completas, quæ eſt ignorantia facti, dicitur: *hæc neminem excuſat*, agitur ergò ibi vel de ignorantia vincibili, vel de ignorantia quæ præſumitur culpabilis. Quin imò ibidem paulò antè habentur hæc clariſſima verba ab Adverſariis omiſſa. *Non ergò poteſt probari iſte reus criminis, cujus non habuit conſcientiam.*

Poſt

(a) *Epiſt.* §. 10. & 15.

Post Bonifacium ex reliquis Pontificibus unum nominant Adrianum. Sed satis ostendimus nobis hunc favere supra num. 77.

Attamen prætereundum non videtur id quod addunt Adversarii his verbis: *nec est, quod reponas........,* inquiunt. *Adrianum VI. audiendum esse, ut Doctorem privatum, cum scripserit antequam ad summum sacerdotii, pontificatusque apicem evectus esset, cum ejus opera ipso etiam in Petri Cathedrâ sedente denuò impressa sint.* Prætereundum hoc, in quam, non est. Nam si meritò id Adversarii addiderint: cum manifestè ostenderimus ab Adriano everti doctrinam Adversariorum, & mentem ipsius apertam esse, quod detur ignoratio aliqua invincibilis juris naturæ excusans, quando non agitur de primis principiis, & ad salutem necessariis: profectò non privatum Doctorem, sed summum pontificem partibus nostris asseruimus.

Verum fac Adrianum Adversariis favere: an ideò niteretur causa illorum authoritate majori, quam privatâ? at, inquiunt, opera ejus, dum in Petri Cathedrâ sederet, denuò impressa fuere. Quid si etiam tum primùm scripta fuissent? possunt videlicet Pontifices, non è Cathedrâ, sed ut privati Doctores multa tradere, dicere, scribere. Itaque non nisi privati Doctoris testimonium haberent, quamvis Adrianus ipsis faveret. Sed nunc, ut vidimus, favet apertè nobis: nihil tamen ultrà auctoritatem privati Doctoris causæ nostræ hinc arrogamus. Atque hæc de Pontificibus.

79. De

79. De conciliis sic loquuntur Adversarii. (a) *Quod ad Concilia attinet tot possum adducere, quot impia Pelagii Cælestiique dogmata proscripserunt: cum probè noveris..........* inquiunt, *unum ex istorum hæreticorum erroribus fuisse, oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato.* Ità illi. Intelligunt autem, ut arbitror, concilium diospolitanum, in quo damnata est sententia Pelagianorum de oblivione, & ignorantia. Sed hic iterum Adversarii pugnant, non nobiscum, sed cum hoste, quem sibi fingunt, & fortassis nuspiam terrarum invenitur: infelices videntur esse in hoc genere.

Quæro enim, quinam demum illi sint, qui negent oblivionem & ignorantiam subjacere peccato? Negabant id Pelagiani tunc temporis: sed quinam id negant nunc? Sanè si ulli id negent nunc, negant Adversarii. Negant enim ignorantiam & oblivionem insuperabilem juris positivi & facti subjacere peccato. Ergò in hoc Pelagianis consentiunt. An non id certum? Præterea censebant illi Hæretici, oblivionem & ignorantiam non esse pœnam peccati: idem dicunt Adversarii de ignorantiâ & oblivione juris positivi & facti.

Itaque Adversarii in duobus cum Cœlestio & Pelagio damnati censendi essent à conciliis; siquidem ullam habet vim, quod objiciunt. 1. Quia docent oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato. 2. Quia docent oblivionem & ig-

(a) *Epist.* §. 15.

& ignorantiam non esse pœnam peccati. Tot igitur contrà Adversarios Concilia possunt adduci, quot impia Pelagii Cælestiique dogmata proscripserunt. En quam bellè Adversarii secum pugnent, neque viam invenient expediendi se, quin communem doctrinam simul expediant. Sed viderint Adversarii. Nos rem ipsam, prout est, exponamus: & patefaciamus immane discrimen doctrinam Pelagianam inter, & doctrinam communem.

Asserebant Pelagiani ignorantiam & concupiscentiam, nec malam esse, nec pœnam peccati: qui cum varie exagitarentur à SS. Patribus, reponebant: si ignorantia & concupiscentia verè mala sit, debere tolli in baptismo: quod eorum dictum refert Augustinus lib.6. contrà Julianum cap.5. imò impudenter addebant: si concupiscentia est pœna peccati, & idem est de ignorantiâ, tum eam non solum non vituperandam, sed etiam laudandam; tamquam magnum quoddam donum: neque conatum adhibendum, ut superetur, sed ei cedendum. Ità loquitur S. Augustinus lib.5. contrà Julianum cap.3. *concupiscentiam eo ipso, quo eam pœnam diximus esse peccati, non solum non vituperandam, verum etiam laudandam putasti.......... aisti, si libido pœna peccati est, abjiciendam esse pudicitiam, ne rebellis in Deum castitas, illam illatam ab eo dicatur enervare sententiam.* Et in eodem opere lib.3. cap.19. dixerat Julianus perfectam ignorantiam debere appellari justitiam: quod utrumque absurdissimum esse pro-

pronunciat Augustinus, licet utraque sit pœna peccati: quia non est eo modo pœna peccati, quo morbi, aliæque infirmitates corporis, quas à Deo nobis inflictas possimus libenti animo acceptare, non resistendo, sed iis consentiendo. Ignorantia verò & concupiscientia tales pœnæ sunt, quas tenêmur omni modo depellere, & quibus consentire prohibemur, quia ex illis oriuntur peccata materialia, imò & formalia, si adsit consensus. Unde concludit Augustinus: *Quoniam cæcitati cordis debet resistere scientia, & libidini continentia: nam verò pœnam quæ nec error est, nec libido, debet tolerare patientia.*

Debuit ergo S. Augustinus multùm laborare contrà istos hæreticos, ut ostenderet ignorantiam & concupiscentiam, & ea quæ inde nascuntur, esse pœnas peccati, esse peccata impropriè dicta, &c. Ut scilicet demonstraret illa non esse naturæ primordia, quod contendebant Pelagiani.

Ex quibus satis perspicuè patet, quinam fuerint errores pelagianorum circa obliviönem & ignorantiam, quos damnavit concilium diospolitanum: ut opus non sit apud eruditum Lectorem, plura hisce addere. Quâ autem specie veri ex his potest concludi damnatum fuisse à Conciliis commune illud effatum, quod ignorantia invincibilis excuset à peccato proprie dicto?

Demonstratum ergò iterum est ne vestigium quidem revelationis aut traditionis in

Concil*i*is extare, de dogmate Adversariorum.

Conclusio secundæ partis.

80. TEntarunt hactenus Adversarii ostendere dogma suum vel à Deo in sacris codicibus revelatum, vel ab aliis scriptoribus traditum fuisse. At quam irritò conatu id præstiterint, res ipsa loquitur.

Nihil enim ab illis allatum est, de quo demonstratum non sit, vel quod ad jus naturæ non spectet, vel quod æquè spectet ad jus positvum, vel quod non sit in eo sermo de ignorantiâ invincibili, quod denique alio modo non sit refutatum.

Et hæc quidem tam manifestè, ut ipsi Adversarii vim veritatis sensisse videantur. Vix enim umquam, aut perrarò sic concluserunt: *ergo invincibilis ignoratio juris naturæ non excusat à peccato*: sed hoc ferè, aut simili modo: *ergò dantur peccata ignorantiæ*. Nimirum non poterant ex locis S. Scripturæ aliisque eruere id, quod in illis minimè inerat. Quapropter toties illis respondimus, & sæpius respondere potuimus, non nos, sed nescio, quas hostium umbras oppugnari. Quis enim dari negat ignorantiæ peccata?

Enimverò dispar longè est nostra, atque Adversariorum causa. Quia enim doctrina communis rationi consona, & quodammodò mentibus

tibus nostris innata est: dogma verò Adversariorum conjunctum cum difficultate laboreque idem explanandi, teste ipso Jansenio, *arcanum* & *tremendum* est, & instar *molis giganteæ*, & ut alii loquuntur, *durum*, & quo in totâ Theologiâ vix aliquid est *difficilius*: idcircò à communi doctrinâ & naturalis rationis tramite ad viam tam ab omni humano sensu alienam deflectendum non est, nisi nos ad id cogat perspicua quædam, ac quodammodò divina auctoritas. Nisi fortè mysterium peccati originalis, Incarnationis, Eucharistiæ & SS. Trinitatis agnoscendum esset, si & manifesta revelatio, & constans traditio ad id non impelleret. Itaque quamdiu Adversarii, illam auctoritatem afferre non possunt, sicut hactenus non attulerunt, nihil agunt.

Quid? quod non tantum omnes Adversariorum conatus irritos esse ostendimus; sed communem doctrinam illis ipsis locis, qui nobis vel ex sacris litteris, vel ex SS. Patribus, vel aliunde objecti sunt, prorsus confirmari ac stabiliri; compertum est?

At quomodò fieri potest, ut Adversarii vel unicum locum afferant, quo probetur ignoratione juris naturæ invincibili non excusari peccatum: quandoquidem dubitent, an revera sit ulla ignorantia juris naturæ invicta, de quâ id dici potest? si enim in loco, quo id volunt probare, agatur de ignoratione vincibili, sicuti auctores passim docent primorum juris naturæ

principiorum ignorantiam dari non posse, nisi fortè vincibilem: tunc ad rem locus non facit. Quæstio enim nostra est de invincibili, non autem de vincibili ignorantia. Nec proinde de ignoratione primorum principiorum disputamus, sed de ignoratione eorum, quæ sine culpâ ignorari possunt, qualiâ sunt innumera in materiâ de conscientiâ, de legibus, de justitiâ, de religione, & in Theologiâ universâ, quæ etiam hodie à sapientissimis viris in dubium revocantur. Et quorum ignorationem invictam dari posse jam sæpius contrà Adversarios ostendimus.

Paucis dico: vel Adversarii censent locis hactenus nobis objectis agi de ignoratione invincibili; vel de vincibili. Si de invincibili, fateantur itaque aliquando disertè dari ignorationem invincibilem juris naturæ, cessentque id in dubium revocare. Si de vincibili dicant agi: tunc fateantur nihil hactenus à se actum. Nam quid opus erat tanto conatu, ut probaretur ignoratione vincibili non excusari peccatum, quod negat nemo? ut verò aliquid agerent, id unum supererat probandum non dari ullam juris naturæ ignorantiam invincibilem, hinc enim concludere potuissent, nullâ ejusmodi ignoratione excusari peccatum. Id autem multò minus videntur egisse Adversarii. Cedo enim vel unum locum, quo id probatur de quæstionibus à primis juris naturæ principiis remotioribus.

Denique novi dogmatis, vel instauratores vel auctores

auctores præcipuos deteximus, tum inter Hæreticos Lutherum & Calvinum, tum inter Catholicos Bajum & Jansenium. Doctrinæ verò communis nullum initium, nulli primi auctores nominari possunt. Neque enim Augustinus primus fuit, qui judicavit, quod *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras*, &c. Neque post Augustinum ulli umquam defuerunt, qui idem sentirent. Et potuit Augustinus niti illo loco Joan. 9. *si cæci essetis non haberetis peccatum*, æquè atque eodem nixus est Adrianus, qui fuit deinde pontifex ejus nominis sextus. Ex quo iterum colligitur doctrinam communem, quasi perpetuâ serie quadam semper fuisse traditam, novo autem dogmati omnem revelationem & traditionem deesse.

Atque hæc de auctoritate satis: restat ut breviter de utilitate ac sanctitate disseramus.



DE PECCATIS IGNORANTIÆ SIVE QUÆSTIO THEOLOGICA AN INSUPERABILIS IGNORATIO JURIS NATURÆ LIBERET A PECCATO.

PARS TERTIA

De utilitate ac sanctitate.

81. CUm Adversariorum dogma, sicut conati sumus demonstrare, neque ratione firma, neque auctoritate probatâ nitatur: necesse fuit illud quadam sanctitatis specie commendare, ut facilius homines ad illud amplectendum allici possint. Nullâ enim re magis capiuntur animi, quam religione.

Itaque Adversarii solent proponere dogma suum tamquam tutam ad salutem viam. Tum multis

multis arctam ad cœlum viam deprædicant. Deinde altitudinem judiciorum Dei mirè exaggerant: nonnumquam etiam de miserando statu naturæ lapsæ disserunt.

Nos partem hanc in capita quinque distribuemus. 1. De viâ tutâ paucis disseremus. 2. Exponemus verba à Christo prolata Matth. 7. *Quam angusta porta*, &c. 3. Verba Apostoli explicabimus ad Rom. 11. *O altitudo*, &c. 4. De miseriis humano generi post Adæ lapsum obortis quædam dicemus. 5. Denique causas indagabimus, cur Adversarii suum dogma tantoperè ament, ac complactantur.

CAPUT I.

De viâ tutâ.

Vix quidquam videtur addendum iis, quæ suprà diximus in hanc rem part. 1. cap. 4. art. 3. & 4.

Illud modò breviter notandum est, Adversariorum dogma, minus videri tutum esse, quam sit doctrina communis, (a) duas potissimum ob causas.

Prima est: quia in eo apparet majus periculum aberrandi à veritate. Id verò judicabit facilè is, qui consideraverit ea, quæ hactenus in totâ hac quæstione dicta sunt.

(a) *Epist.* §. 13.

Altera causa est, quia immodicus rigor majori dissolutioni viam solet aperire. Hinc illud Eccle.7. *noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.*

Ubinam major socordia? ubi major libertas & libido ad omnia vitia, quam in sectâ Lutheri atque Calvini? an non ad hanc malorum omnium effrænem licentiam prolapsi sunt, postquam arctissima dogmata de concupiscentiæ & ignorantiæ peccatis, aliaque similia cœperunt hominibus proponere & suadere? quomodò ergò illa censeri possunt tutiora?

Neque hic mihi Adversarii satisfecerint, respondendo arcta illa hæreticorum dogmata tuta non esse ideò, quia damnata sunt ab Ecclesiâ Catholicâ. Non enim ideò tam arcta sunt & tam perniciosa, quia damnata sunt: sed ideò fuere damnata, quia nimis arcta atque adeo noxia erant.

Nimirum ad ardua quæque animus humanus facilè exardescit, si consequendi metam spes proposita sit. Hanc si tollis, desperatio subit, & horror ac fuga omnis laboris. Quod si, ex Adversariorum sententia, juris naturæ ignoratio invicta à peccati reatu non excusat: sanè frustrà omnis labor, & sine spe suscipitur. Frustrà enim labor erit ad vincendam ignorationem. Hæc enim invicta esse statuitur. Frustrà quoque laborabitur ad peccati culpam fugiendam, quia & illud impossibile fit propter insuperabilem ignorationem. Sicuti in dogmate v. g. Lutheri frustra est omnis labor ad peccati culpam fugiendam,

fugiendam, ad quam necessariò impellit concupiscentia.

Prætereà proximo capite ostendemus, quod Adversarii arctent viam ad salutem, suprà mensuram, quam Christus posuit. Quis autem non videt, id tutum esse non posse?

CAPVT II.

De verbis Christi Matt. 7. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam Angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam. *Item Lucæ* 13. contendite intrare per angustam portam.

82. MIrè hæc videntur sapere Adversariis, at quam immeritò mox apparebit. * Audiamus hinc ex Adversariis quempiam, inde Christum verba ad populum facientem.

ARTICULUS I.

Oratio Adversariorum de viâ arctâ.

EGo vobis denuncio, Auditores, nullâ ignoratione quantumvis invictâ, liberari vos à peccato

* *Epist.* 5. 14.

peccato propriè dicto: sed reos vos fieri culpæ & pœnæ, quotiescumque ex eâ feceritis quidquam contrà jus naturæ.

Fateor equidem, sunt quæstiones implexæ prorsus & intricatæ, de conscientiâ, legibus, fide spe & charitate, religione, justitiâ, aliæque plurimæ, quarum veritas in hodiernum usq; diem dubia & involuta latet, sic ut in varias sententias Doctores distracti sint, quamvis non ipsi modò, sed multis retrò seculis sapientissimi viri, enodandis & explicandis ejusmodi quæstionibus improbo & pertinaci labore insudarint. Attamen neque illos suus conatus, neque vos illorum auctoritas, nec quemquam sua opinio, quantumvis videatur rationi consona, imò nec quamvis nefas quis putet illi non parêre, poterit excusare à peccato, non dico *materiali* sed nec à *formali*, si fortè contrà naturale jus contigerit ire. Nam voces * *materialis*, *formalis*, *radicalis* aliæque hujusmodi distinctiones quas Scholastici, Philosophiæ plus æquo addicti, excogitarunt, non tantùm Luthero & Calvino, sed etiam non ità pridem Jansenio venerabili Iprensi Episcopo, ejusque sequacibus cœperunt displicere.

Alii videlicet latam & spatiosam viam aperuerunt, quæ ducit multos ad perditionem: sed hæc quam vobis trado, doctrina, est angusta porta & arcta via, quam pauci inveniunt.

Mirantur scio aliqui. *Quis enim*, inquiunt, *sapiat, ut homo in eo peccet, quod neque scit, neque scire potest? . . . hujusmodi enim peccata jam non erunt, ne*

* *Epist.* §. 12.

quidem

quidem voluntaria. Et quis credat tale portentum? sed magnus ille Antistes Iprensis hæc eadem sibi objecit Tomo 2. de statu naturæ lapsæ lib. 2. cap. 4. aliique ejus discipuli eadem consideraruns, noruntque illud portentum invenire in Augustino. Et quamvis hic dicat non deputari ad culpam, quod quis invitus ignorat, & quod peccatum proprii nominis à *sciente & volente* debeat fieri; norunt tamen id explicare. Neque sanè requiritur scientia aut voluntarium proprium, sed hæc omnia referenda sunt ad Adamum. Itaque *intrate per hanc angustam portam &c.*

Bono animo vos esse jubeo, & securos quod sitis non in spatiosâ, sed in arctâ viâ, quando ità arctati & constricti estis, ut sive sciatis, sive non sciatis, sive velitis sive non velitis peccare, peccaturi nihilominus estis.

Et tamen peccandum non est, & ne peccetis, monendos vos esse video: & verè hortor, quantâ possum contentione, ne umquã peccatum ullum actuale committatis, nè ignorantes quidem id displicere Deo.

Itaque suadeo in primis, ut gratiam S. illuminationis à Deo identidem postuletis. Si tamen illa non adfuerit tum eritis in tenebris ignorantiæ, vel si etiam defuerit auxilium sine quo possibile non est orare & petere illam gratiam, sicut oportet: non ideò tamen non eritis rei peccati.

Prætereà suadeo, ut unusquisq; omissis negotiis cæteris, totum se det indagandis & investigandis illis juris naturæ quæstionibus, quarum usus videtur

tur esse posse. Nam, ut noctes diesque aliud nihil agatur, adhuc verendum est ne plurium veritas vos fugiat: cujus tamen ignoratio non poterit vos reddere immunes à culpâ & pænâ.

Quapropter censeo necessarium esse, ut omnes occasiones removeatis; ut videlicet absque morâ deseratis munia illa & officia, in quibus sunt circa quæstiones juris naturæ errandi pericula. Confessarii proinde pænitentibus aures non præbeant, causidici suos clientes, Judices sua subsellia, nobiles militiam, cives mercimonia, presbyteri parochiales animarum curam, Episcopi pastoralem dignitatem deserant. Nam ubi salus æterna in discrimen venit, eligere & facere convenit, quod tutius est.

Durus est hic sermo, inquient fortassis aliqui. Sed hæc est angusta porta, quam intrare debemus.

Quamquam venit in mentem, quo animos vestros erigam. Sunt qui putant omnem juris naturæ ignorantiam vincibilem esse. Si illis creditis, non est cur tantoperè laboretis. Nam quoties tempus & locus erit statuendi, quid verum licitumve sit, toties rustici æquè atque Academici, difficillimas quasque juris naturalis quæstiones anxiâ quâdam mente scrutari, & earum veritatem perspicere poterunt: & decernere à quo sit abstinendum: ac subinde arcanos & abditos sensus vel per se rimari, vel ex aliis discere. Repentina, inquam, & insperata lux quædam, id temporis, cum jam agendum esset, suboritur, quo vident periculum peccandi, de quo anteà ne suspicati quidem umquam fuerant. Quia

Quia tamen id omnino certum non eſt, & quia videmus, proh dolor! quotidie in quæſtionibus juris naturæ, tam illos, qui lite contendunt, quam eorum patronos & judices ab invicem ſententiis diſcedere, neque minus tribunalia integra, quam Judices ſingulos inter ſe diſſentire: idcircò iterum cenſeo nulli tutum eſſe, vel lites hujuſmodi, vel munia ſuſcipere aut retinere. Nam alterutri ſic diſſentientium peccant, non quomodocumque, ſed ità, ut culpæ rei fiant, & pænam culpâ dignam Deo daturi ſint. Itaque muniis iſtiuſmodi perpetuum quodammodò periculum peccandi junctum eſt. Nefas autem eſt tali periculo ſe exponere, quia tutius eligendum eſt.

Non eſt opus ut ſigillatim exponam, quæ in praxi confeſſionis Sacramentalis, reſtitutionis, & in pluribus aliis hinc conſectaria deducenda ſint. Vos ipſi illa ſatis perpendere poteſtis. Ego verò vos iterum iterumq; hortor, ut intretis per hanc anguſtam portam &c.

Hunc ferè in modum (ni fallor) ad populum loqui poſſet, vel deberet. qui dogmati novo addictus eſſet quid enim dictum eſt, non ex Adverſariorum mente?

* Vereor tamen ne veritas hic malam gratiam pariat, & ne mihi ſuccenſeant Adverſarii ſaltem nonnulli, qui etſi fortè conſentiant nihil alienum, à vero eſſe in oratione illâ, alias tamen ob cauſas abſtinendum ab illo argumento eſſe judicant. *Non arbitror*, inquit aliquis ex illis, *neceſſarium, ut de iſtâ veritate pro euangelico pulpito diſputetur, cum ſint*

* *Epiſt*. §. 19. *multa*

multa tacenda, ut ait Augustinus, propter incapaces, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus facere doctiores. Sic etiam ne aliqui infirmi hanc veritatem portare non possint, parcius de eâ loquendum est. Nec fortè extrà Scholam &c.

Ità Adversarii illi, & quidem sapientissimè, si teneamus doctrinam communem: quid enim opus est populo sæpiùs veritatem illam ingerere, quam docet ipsa natura? nisi fortè id necessarium interdum sit, ut componantur animi hominũ, per importunas Adversarii cujusdam conciones turbati.

At verò si Adversariorum dogma verum esset, non video, cur id populo identidem non inculcaretur: imò id facere perquam necessarium videtur fore. Nisi fortè hæc una ratio id facere vetaret, quod utilitatis nihil, desperationem verò certam cognitum dogma allaturum esset.

Scimus quædam vitia, præsertim, quæ castimoniæ opposita sunt, non benè pro concione explicari, ne, ut Augustinum ajunt dicere Adversarii, *pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus facere doctiores.*

Scimus etiam de prædestinatione loquendum esse cautè. Quia cum Ecclesia in hoc mysterio eā sententiam amet, quæ ità gratiam Dei extollat, ut tamen non tollat arbitrii libertatem: cumque hic multi utrimque sint scopuli, in quos Hæretici variè allisi fuêre, sintque non pauca, quæ necdum satis judicata, aut definita sunt: Cumque sine cognitione reconditæ illius abstrusæque veritatis, omnia homines habeant, quæ juvare illos possint,

ut

ut per bona opera, prout monemur 2. Petri 1. certam suam *vocationem & electionem* faciant: constat hanc, aliasque hujusmodi quæstiones, *propter incapaces*, sicut ex Augustino notant Adversarii, melius in scholis, quam in concionibus discuti.

At in novo dogmate, si verum esset, nihil horum invenitur. Non enim necesse est, populum docere modos peccandi antè incognitos, ut quis credat se reum fieri culpæ & pœnæ ex ignoratione juris naturæ insuperabili. Neque si hæc una quasi charybdis quædam horroris ac desperationis superetur, videntur ulli pejores scopuli timeri posse. Non est etiam cur vulgus incapax censeatur illius dogmatis intelligendi. Quis enim non capiat, si ei dicam: pœnam Deo dabis, si legem ignarus violes, quamvis te peccare nec scias, nec scire possis. Horreat, non credat, desperet, at intelliget quid velim. Plana denique est ac minimè dubia aut obscura assertio novi dogmatis. Itaque nihil obstare videtur, quo minus; si verum esset, & revelatum, populo identidem inculcaretur.

Jam verò id necessarium etiam fore, facilè ostenditur. Nam periculi & damnationis plenum erit, de illo edoctum non esse. Non enim, qui id ignorat, satis anxiâ curâ stimulabitur, ut eligat id, quod tutius est, ut illa vitet omnia, in quibus peccandi ex ignoratione invincibili frequentior est occasio. Solent enim homines officia maximè exposita hujusmodi periculis, non tam vitare, quam ambire. Non videntur autem inveniri posse

posse causæ justæ exponendi se periculis tot ac tantis patrandi peccata proprii nominis. Fugienda igitur illâ omnia essent, & penitus respuenda: quod ignarus novi dogmatis non fecerit.

Prætereà, si quis edoctus de eo non fuerit, ne in mentem quidem venire ei poterit, ut se accuset in Sacramento de hujusmodi peccatis ex ignoratione invincibili factis, in quæstione v.g. charitatis, religionis, aliisque.

Denique si necessarium sit etiam rudes in concionibus instruere de originali peccato: multò magis videtur necessarium futurum eos instruere de aliis istis actualibus ignorantiæ peccatis. Quia reverà nisi scirent illa esse proprii nominis peccata & nisi non tantum tuta, sed etiam tutissima eligerent, in innumera delicta, & in certam ruinam præcipites se darent. Itaque hæc omni contentione, tum publicè tum privatim, tum doctis tum indoctis, ingerenda essent, si novum dogma esset à Deo revelatum.

Patientur igitur, ut spero, Adversarii æquo animo, quod aliquod specimen dederim orationis, quâ uti possint. Pergam proinde pauca in ejus argumentum annotare.

Atque in primis quis non sentit, quod portam viamque ad cælum non arctent, sed claudant.* Ità ut Adversariis videatur objici posse, quod Christus reprehendit Matt. 23. *Quia clauditis regnum cælorum antè homines.* Non possunt enim homines, quamvis ignari non committere

* *Epist.* S. 14. peccatum

peccatum actuale, hoc est, relictâ salutis viâ, in viam peccati sive perditionis ingredi.

Præterea præcipiunt & vetant ea, ad quæ facienda, vel omittenda populum non nisi insulsè & quasi ridiculè hortari licet. Ridiculus enim fit, qui hortari velit homines, ne incidant in peccatum originale,quia contrahitur absque ullâ scientiâ & voluntate propriâ. Si itàque nec sciens nec volens fiam ex ignorantiâ reus culpæ & pœnæ, ridiculus item sit, qui me hortetur, ne in illud incidam.

Adhæc (prout nobis quidem videtur) Adversarii *alligant... onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Matt: 23. Quis enim eorum digito suo ea movet? quis judicum subsellia, lites, pastoralia & Episcopalia munia, angelicis humeris formidanda respuit? aut dimittit? hoc verò minimè ad censuram dico, sed tantummodò ostendo deduci ea consectaria ex novo dogmate, in quæ ne ipsi quidem Adversarii consentiant. Nec inficiari videntur ipsimet Adversarii, *importabilia* onera esse quæ imponunt. Quid enim aliud innuunt hæc eorum verba: * *ne aliqui infirmi hanc veritatem portare non possint, parcius de eâ loquendum.*

Sanè si vera esset & probanda hujusmodi Adversariorum oratio, non videmus, quomodò componi possit cum illa Christi voce Matt. 11. * *jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

P Item

* *Epist.* 5. 19. * *Epist.* 5. 14.

Item cum illo 1. Joan. 5. *Et mandata ejus gravia non sunt.*

Verum quidem est, respondent Adversarii, *jugum Christi esse suave, & onus ejus leve, amanti scilicet ac charitate feruido.* At quomodò igitur ipsimet narrant, sicut vidimus num. 45. Sanctissimos Patres Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, Hieronymum viros amantes, ac caritate ferventissimos, defendisse mendacia officiosa? sunt ergò amantes & caritate fervidi etiam obnoxii ignorantiæ juris naturalis, atque adeò nec scientes nec volentes peccabunt, quod videtur esse onus importabile.

Nequeunt etiam dicere, quod per gratiam leve fiat illud jugum. Si enim gratiam illam fateantur adesse, jam vinci posset ignorantia: agimus autem de invincibili.

Sed videamus Christum longè aliter de arctâ viâ disserentem.

ARTICULUS II.

Sermo Christi de viâ arctâ Matt. 5. 6. & 7. & luc. 13.

83 MAtthæi 5. exorditur servator noster sermonem recensendo octo beatitudines, excitatque suos, ut gaudeant, in persecutionibus, quoniam merces copiosa est in cælis. Tum comparans eos sali & luci, vult ut luceat lux eorum sic coram hominibus, ut glorificetur Pater qui in

cælis

cælis est. Post hæc legem commendat, & declarat illa, quæ dicta sunt antiquis: non occides, non Mæchaberis, oculum pro oculo, diliges proximum tuum. Dicens multa, quæ vel ad consilia, vel ad præcepta, vel ad interiorem præparationem animi spectant, vel ad externam actionem. Nec quidquam in iis imperatur nescientibus aut ignaris.

Capite deinde 6. Hypocrisim perstringit, docet orare, jejunare, & Thesaurizare Thesauros in cœlo. Tum de oculo simplici & nequam quædam dicit, per quem D. Thomas 1.2. qu. 12. ar. 1. intelligit intentionem, quam docet esse actum voluntatis, qui cognitionem præsupponat: ac demum pluribus vetat nimiam Corporis sollicitudinem. Nihil hic iterum, quod possibile non sit, ad quod proinde hortari unumquemque non conveniat.

Capite demum 7. vetat judicare, commendat ut pulsemus. Et paucis complectens omnia, sic ait, *omnia ergò quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quasi diceret, accipite hoc, tamquam epitomen, quâ cætera continentur. *Hæc est enim lex & Prophetæ.* Post quæ verba sequitur adhortatio illa, *intrate per angustam portam. &c.* Sic igitur videtur posse exponi mens Christi. Pauci sunt, qui omnia quæcumque volunt sibi fieri ab hominibus, faciant illis; adeòque pauci sunt, qui illud præceptum benè observant, quod sanè est arduum, ut patet ex dilectione inimicorum, aliisque quæ paulò antè exposui; ideò-

que angusta est porta, & via arcta, *quæ ducit ad vitam*: quia debet se arctare, & semetipsum abnegare, qui vult implere illud præceptum. Contrà verò *spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Quia multi sunt, qui sua commoda, divitias, honores, dignitates plus æquo qnærunt. Quis, quæso, hinc rectè concludet viam ad vitam esse arctam, quia ex ignoratione invictâ fiunt peccatta propriè dicta?

Monet post hæc Christus, ut attendant à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium. Ac ad extremum dicit non illos intraturos in regnum Cœlorum, qui operantur iniquitatem, aut qui dicunt *Domine, Domine*, sed qui faciunt voluntatem Patris.

Atque hæc est summa quædam illius sermonis in monte, in quâ Christus angustam, & arctam viam proposuit & explicavit. Quis verò non videat quantum hæc discrepent à methodo & sensu Adversariorum?

Neque minus discrepant ea, quæ habentur Luc. 13. ubi sic narrat Evangelista. *Ait autem illi* (scilicet Christo) *quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam.* Quamdiu scilicet patet, & ingressus possibilis est. *Quia multi, dico vobis quærent intrare*, postquam ostium fuerit clausum, uti mox explicat, *& non poterunt.* Nam in horâ mortis, singulis, & in die judicii omnibus claudetur ostium istud. *Cum autem intraverit pater familias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, &*

pul-

pulsare ostium clausum scilicet, & nimis serò, *dicentes: Domine aperi nobis*: & tunc non amplius dicet, contendite intrare. Nam clauso ostio & sententiâ mortis æternæ jam latâ possibilis non erit ingressus, sed, *respondens dicet vobis: nescio vos ..... discedite à me omnes operarii iniquitatis. &c.*

Si Christus vel pater ille familias ostio cœli jam clauso, eos qui foris stant pergeret hortari, sicut antè fecit, dum adhuc patebat ostium, & dicere: *contendite intrare per angustam portam.* Videretur facere more Adversariorum, qui hortantur eos, quibus per invictam ignorationem clausa est via virtutis, & quibus inevitabilis tunc est via peccati & perditionis, ut intrent per angustam portam. Sed ne fas quidem est suspicari, quod Christus qui est sapientia æterna, hujusmodi infulsâ adhortatione uti posset. Perinde enim faceret, atque si diceret: contendite intrare per clausam portam. Quod absurdum omninò est.

Ex quibus omnibus patet, quam vano & inani conatu Adversarii dogmati suo à nescio quá severitate speciem quamdam sanctitatis velint attribuere, cum ab arctâ illâ viâ, quam Christus tradidit longissimè abscedant.

CAPUT III.

De verbis Apostoli ad Rom. Cap. 9. & Cap. 11.

84 SI quis Adversariis demonstret, quod naturali rationis lumini repugnet, quemquam per actuale peccatũ reum fieri culpæ in eo, quod illicitum esse nec scit, nec scire potest; mox reponunt verba illa Apostoli ad Rom. 9. * *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* &c. Item illud ibidem cap. 11. *O! altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? quis enim cognovit sensum Domini? &c.*

Id videlicet agunt Adversarii, ut dogma suum censeatur esse in numero Mysteriorum arcanorum, quæ admiratione quâdam mutâ venerari, non ratiocinando explicare oporteat.

Verum cum dogma eorum nec traditum, nec revelatum sit, frustrà id agunt. Quid enim si quis hujusmodi mysteria etiam narrare incipiat de ignorantiâ juris positivi?

Scimus S. Hieronymum lib. 1. Dialogorum contrà Pelagianos cap. 10. sub nomine Attici adversus Critobulum: & S. Augustinum contrà Pelagianos

* *Epist.* 5. 12.

lagianos in epist.105. ad sixtum,atque alibi Sanctos Patres illis Apostoli verbis sæpius fuisse usos: sed agebant de mysterio satis alioquin cognito & certo. Sic Hieronymus contrà illos agebat, qui negabant omnia ignorantiæ peccata, imò ignorantiam ipsam in perfectis, ut patet ex proæmio in dialogos illos: ideoque inter cætera scripturæ testimonia contrà illos affert .ignorantiam Jacob justissimi viri Gen: 37.

Augustinus verò sicut diximus num.60. ostendebat non posse nos viribus solius liberi arbitrii sine Dei adjutorio promereri gratiam,ne primam quidem,aut salutem æternam,defendebatque mysteria certissima de reprobatione,& de prædestinatione ad gloriam. Sapientissimè igitur verba illa Apostoli Adversariis suis objiciebant,quamvis nō in eodem sensu,in quo ea usurpavit Apostolus.

Neque sanè hinc parum roboris aliis etiam dogmatibus accedebat,vel ab Apostoli,vel potius à Sanctorum Patrum illorum auctoritate, qui verba illa Apostoli tam aptè tamque sapienter ad suas quæstiones accomodarunt. Nullus autem illa occommodavit umquam ad dogma Adversariorum: nulla igitur ex verbis illis auctoritas ad illud potest derivari.

Si quæris, quænam igitur fuerit Pauli mens; dum verba illa ad Romanos exaravit?Respondeo non loqui illum de vocatione ad fidem,nec etiam de gratiâ præveniente, nec de electione ad gloriam:multo minus de propriâ cujusquam v.g.Petri electione, vel Judæ reprobatione, de quibus agit

Augustinus: sed Apostolus agit de vocatione ad gratiam justificantem, & filiationem, ut aiunt, Dei, in quâ consistit Benedictio Abrahæ à Deo promissa: ostenditque Christianos tamquam promissionis filios, credendo in Christum eique obediendo, Benedictionem Abrahæ, id est justitiam esse adeptos: Judæos verò qui sunt filii carnis, id est, secundum carnem nati ex Abraham, quique justitiam quærebant ex operibus legis & naturæ, repellendo fidem Christi à Benedictione pariter & justitiâ esse repulsos. Ideòque assimilat Judæos incredulos Ismaëli filio carnis, & Esau primogenito, & Pharaoni obdurato, permissivè scilicet, ut ipsemet explicat ver: 22. cap. 9. verbis illis: *Sustinuit in multâ patientiâ.* Et D. Thom intelligit 1. par. qu. 23. art. 3. ad 3. Christianos verò credentes assimilat Isaaco filio promissionis, Jacobo præ Esau dilecto, aliisque v.g. Nabuchodonosori, quorum misertus fuit.

Quando ergo Apostolis dicit: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum.* &c. Aliud nihil vult, quam soli divinæ voluntati adscribendum esse, & non præviis quibusdam meritis, quod Deus gentiles paucosque Judæos credentes in Christum decreverit evehere ad Abrahæ Benedictionem, & facere per gratiam sanctificantem filios promissionis, & vasa in honorem: Judæos verò fidentes operibus naturalibus legis, & non credentes in Christum, voluerit indurare, permittendo scilicet & sustinendo, sicque eos facere vasa in contumeliam: etsi essent carna-

les

les filii Abrahæ. Vide hæc, si placet, pluribus exposita apud Cornelium à Lapide.

Apponam verò ejusdem Interpretis verba explicantis illas voces: *O! altitudo!* &c. de quibus sic habet: *Sensus ergò est, quasi dicat. O! profundam misericordiam, sapientiam, & scientiam Dei! misericordiam, quâ omnium misertus est; sapientiam, quâ ut ait S. Gregorius lib. 29. moral. 28. omnia concludi permisit sub peccato, & infidelitate, quaque ità omnia dispensavit, ut primò negligeret gentes, ut sic Iudæos eligeret; deinde Iudæos reiiceret, & sit eligeret gentes: denique utrosque in fine eligeret & complecteretur. Scientiam, quâ omnia futura distinctissimè novit antequam fiant, ut Iudæorum reiectionem, gentium adoptionem & justitiam, quòd hoc loco spectat Apostolus. Ob hoc enim exclamat, O altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei! & hoc ipsum est, quod à cap. 9. huc usque per tria hæc capita docere & demonstrare intendit. Si enim Deus Messiam misisset cum pompa divitem, splendidum & magnificum, quasi alterum Salomonem; Iudæi eum recepissent. Rursum Deus mille alios modos habebat, quibus Iudæos ad se traheret: sed noluit eos Iudæis exhibere, voluitque unicum hunc justitiæ & salutis modum proponere, scilicet Messiam pauperem & Crucifixum, quem sciebat à Iudæis repudiandum, à gentibus verò acceptandum. Si quæras, cur ità statuit, elegit & fecit Deus? non aliud respondere possum, quam quod Paulus hic respondet: O altitudo &c.* Hactenus Cornelius à Lapide.

Quis ex his non videt, quam immeritò Adversarii illa Apostoli verba ad suum dogma detorqueant?

queant? Nam neque in illis Pauli locis ullum vel minimum vestigium est novi dogmatis de ignoratione invictâ non excusante: neque ullus S. Pater umquam illa Pauli verba ad dogma illud accommodavit. Quâ igitur præfidentiâ audent inde dogmati suo accersere nescio quem fucum reconditæ cujusdam religionis?

CAPUT IV.

De severitate communis doctrinæ in statu naturæ lapsæ.

85 SEd cum Adversarii tam studiosi sint rigidioris disciplinæ, & abstrusorum mysteriorum, age, explicemus illis arduos labores doctrinę communis, arcanamque religionem. Fortassis invenient, quo non tantum pascant, sed expleant etiam animum suum.

Quid enim? postquã ad Romanos 5. *in omnes homines mors pertransiit*, stipata fatali illo tot morborum malorumq; satellitio, an non arduum est superare illas peccatorum pœnas, quas, ut ait S. Aug. l. 3. contra Julianum c. 19. tolerare debet patientia? nimirum non potest non difficillima esse pugna, ubi non tantum cum hoste, sed etiam cum malè affecto corpore res est, nec potest iter illud non esse laboriosum, ubi non tantũ anfractus & obstacula, sed etiam sarcinarum quæ gestantur, impedimenta toleranda & superanda sunt.

At istud non modò molestiæ, sed periculi etiam plenũ est, quod inter tot labores & ægritudines, in sinu suo alat homo, duos quasi domesticos hostes,

ignorantiam & concupiſcentiam, qui vocantur à S. Auguſtino loco jam laudato, cœcitas cordis & libido, docetque ibidem, quod non tantùm debeat patientia iſtos hoſtes tolerare, ſicut morbos corporis, ſed quod virtus debeat illis reſiſtere, quia ducunt & inclinant ad peccatum. Unde D. Thomas 3. par. qu. 14. ar. 1. dicit, *conveniens fuiſſe corpus aſſumptum à filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus ſubjacere.* Sed ibidem, qu. 15. ar. 3. dicit, quod *ſicut in Chriſto non fuit fomes peccati, ità non fuit in eo ignorantia.* Quis explicet, quam moleſtum, quam periculoſum, quam pertinax bellum gerendum ſit, cum iſtis hoſtibus, quamdiu mortalem hanc vitam ducimus? de hoc bello dicit Apoſtolus ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* &c. Cenſentne Adverſarii, illum non tenere viam arctam, qui per tot incommoda & diſcrimina eniti debet ad virtutem, niſi etiam reus fiat peccati proprii nominis, ignorans omnino ſe peccare?

86 Sed vereor, ne exiſtiment Adverſárii, peccatum impropriè dictum eſſe nomen inane. Et tamen præterquam quod ignoratio ſpectet ad pœnas peccati, & non ad naturæ primordia, ſicut contrà Pelagionos oſtendit Auguſtinus, & præterquam quod plerumque hominem deſtituat multis præſidiis & ornamentis virtutum: actio inde orta de quâ loquimur, reverà eſt mala & repugnans legi, quamvis non reddat hominem nocentem, eò quod abſit voluntarium; Nemo igitur illam poteſt alteri ſuadere; ſed quantum fieri

convenit,

convenit, debet ignorantem unusquisque docere: in quo qui socordes sunt, rei fiunt peccati propriè dicti.

Sed in primis ille ipse qui facit contrà legem, quamvis non fiat reus culpæ, tunc cum vinci nequit ignorantia, fit tamen per sæpè reus culpæ & pœnæ alio tempore, quando poterat ignorationem orando, studendo, consulendo, aliisque modis prævertere. Deinde peccata illa impropriè dicta, solent augere potius fomitem peccati, & inclinare ac deducere hominem in multa peccata proprii nominis.

Jam verò illa ignoratio, quæ nunc vinci non potest, persæpe fit vincibilis posteà, sic ut & ipsa, & id quod ex eâ contrà legem perpetratur, fit peccatum quod vertitur culpæ.

Nec ut excuset ignoratio à culpâ satis est quoquo modo eam vinci non posse. Si enim auxilia tibi desint, quibus eam superes, non desit autem gratia, quâ orando possis à Deo id temporis auxilia, quæ desunt, impetrare, reus eris culpæ, si ignorationem non vincas; fit enim interdum, ut *physicè* ignoratio insuperabilis sit, non autem *moraliter*, ut loquuntur, quia physica impotentia orando superari potest. Ut verò liberet ignoratio à culpâ, debet & *physicè* & *moraliter* vel si quis malit sic loqui, *immediatè* & *mediatè* insuperabilis esse. Quot hic iterum, nascuntur pericula peccatorum proprii nominis.

Quis verò enumeret peccata propriè dicta, quæ quotidie fiunt etiam à justis per ignoratio-

nem

nem vincibilem ? quoties illa eſt indirectè voluntaria ? quoties profecta ex ſocordiâ ? imò quis recenſere poſſit quoties illa directè voluntaria ſit, & ut ajunt, affectata, ex qua ſanè graviſſima & immania ſcelera ſolent provenire ?

Denique quamvis non magis actuale peccatum ſine voluntario, quam album ſine albedine eſſe poſſit, diximus tamen num. 39. multas naturæ leges, quales ſunt prima principia ignorari non poſſe, ſaltem ſine culpâ. Quapropter rurſus hic pericula plurima ſe offerunt peccandi propriè, dum ex ignoratione illarum legum agimus, quam vincere poſſumus.

Cum hiſce tenebris perpetua homini lucta eſt. Inter tot diſcrimina, tot vigilias & labores enitendum eſt ad virtutem, ſervanda præcepta, tum decalogi tum alia, eaque facienda omnia, quæ Chriſtus in euangelio, ac nominatim in illo ſanctiſſimo ſermone in monte habito præcepit. Hæc igitur qui facit, hæc qui aliis ſuadet, videbitur adhuc Adverſariis viam ſpatioſam ingredi, quia negat tunc fieri peccatum proprii nominis, quando adeſt ignoratio invicta ? hoc eſt, quando abeſt voluntarium, ſine quo natura peccati actualis ne cogitari quidem poteſt ? An ideò Chriſtus minus arctam viam prædicaſſe cenſendus eſt, quia ne mentionem quidem novi dogmatis fecit ?

Si tamen Adverſariis ne illa quidem via ſatis arcta eſſe videatur, quam Chriſtus tam arctam & anguſtam eſſe pronuntiavit, habent aliam, in quâ poſſint

possint indulgere zelo suo, habent inquam, non novum aliquod dogma, quod peccatum ibi velit esse, ubi peccati natura non invenitur: non enim in hujusmodi obscuris quæstionibus severitas virtutis Christianæ est sita: sed habent, planissimam quidem & antiquissimam, attamen arctissimam viam ab ipso Christo demonstratam. Hæc via est Religiosus status, sive consilia euangelica, quæ tam arcta est, ut Christus illam suadendam tantummodò, non tamen præcipiendam judicaverit. Hanc ingredi potest, cui necessaria & communis severitas Christianæ legis, nimis spatiosa videtur esse: & per hanc arctissimam viam innumeri, hodieque incedunt sanctissimam vitam ducentes, procul à dignitatibus & honoribus, aliisque mundi illecebris sejunctam.

87 Quod si Adversarii quærant mysteria, quæ fugiant aciem mentis nostræ: considerent quæso, ea, quæ de gratiâ, de vocatione, electione, destinatione, reprobatione, aliisque hujusmodi quæstionibus disputantur in tot scholis, in quibus tamen novum dogma non recipitur, & occurrent (ni fallor) satis multa quæ cogant illos exclamare, *o altitudo*! &c.

Illud verò quod D. Thomas ex omnium sensu dicit 3. par. qu. 8. art. 4. *homo per certitudinem scire non potest, utrum sit contritus*. Et illud Eccles. 9. *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit*. Etiam horrorē poterit incutere, & ardorē illum restinguere excogitandi novum peccati actualis genus; quod ipsis fatentibus, dum ignoratio invicta manet, in-

inevitabile, nobis verò à peccati naturâ prorsus alienum videtur esse.

Neque sanè est, cur Adversarii jactent severitatem novi dogmatis, quod animos hominum in salutis via non tam excitat, quam segnes facit, & non parum peccata fugiendi studium imminuit. Si enim postquam ingenti labore, omnia ignorandi pericula vitare frustrà studui, tunc nihilominus ex ignoratione quam vitare non potui, culpæ & pœnæ reus fiam, quam facilè continget infirmos homines cogitare, parum sua interesse, paulone minus post laborem, an paulo magis sine labore peccent? improborum quidem est hæc cogitatio, sed ad quam non parum à novo dogmate impelluntur. Arcus denique dum nimis intenditur & supra vires, frangitur.

An non certo experimento edocti sumus, dum Lutherus & Calvinus hujusmodi severa & tremenda dogmata produxerunt in lucem, simul multas Christianæ fidei leges fuisse dissolutas & infractas, ipsumque, quod omnis malitiæ est caput, excussum fuisse jugum Apostolicæ Sedis?

Sed quidquid sit de periculis, quæ in disciplinam Christianam à novo dogmate promanare possent, satis ut opinor, patet, doctrinam communem sanctam omnino ac severam esse, neque quidquam ei deesse ad venerationem & religionem: cum Christus ipse eam sic prædicaverit, ut novi dogmatis ne meminerit quidem.

CAPUT V.

De causâ ob quam Adversarii tantoperè ament novum dogma.

88 QUi ea quæ hactenus disputata sunt, animo partibus non addicto consideraverit mirabitur fortassis, cur Adversarii tantoperè novum dogma complectantur? quid demum illos ád id potuerit impellere?

Difficile enimvero est dicere, quid quemque moveat, cur hæc illi sententia, altera placeat alteri. Non est tamen abs re nonnullas causas in medium afferre, ob quas homines vel reverà moveantur, vel moveri possint ad statuendum quidpiam, quod à sensu communi abhorret.

Et quidem si quis de Luthero & Calvino quærat cur dogma illud, contrà Papæ, ut Lutherus loquitur, scholas defendendum susceperint: fas est respondere quod in illis valuerit odium ergà Doctores scholasticos, & orthodoxam Ecclesiam, quo tamquam cœco quodam impetu in adversa abrepti fuêre. At de Adversariis nostris nefas est hæc vel cogitare.

Si quis igitur quærat de Cornelio Jansenio Iprensi, quid tandem illum permoverit, ut novum dogma ex hæreticorum latibulis, in Catholicorum scholas induceret? non vereor ne temerè quid dicam, si respondero, non parum fuisse ipsum

ipſum ad id impulſum, poſtquam decreverat in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum proprii nominis non requiri libertatem à neceſſitate. Hoc enim poſito, quid poterat illum abſterrere ne diceret fieri peccatum propriè dictum ex ignoratione inſuperabili? imò quomodò poterat id non dicere? pari enim paſſu videntur concupiſcentia & ignorantia ad peccatum nos ducere.

De cæteris Adverſariis non habeo, quod dicam, poſſunt fortaſſis aliqui eorum, ut fit, ſpecie cujuſdam ſeveritatis, quam toties deprædicari audiunt, allici: alii verò aliis neſcio quibus rationibus moveri. Confido certè illos omnino alienos eſſe ab illâ ſententiâ Janſenii, & in Janſenii ſenſu damnatâ, quæ neceſſitatem componit cum libertate. Si quis enim eam, quaſi quibuſdam victricis gratiæ non vulgaris involucris tectam (quis enim neget optimo & planiſſimo ſenſu dari gratiam victricem?) ſed ſi quis eam Janſenii ſententiam ità involutam adhuc defenderet, ſatis apparet integrum vix, & difficile illi eſſe à dogmate novo, de quo diſputamus, recedere. Sed quia de Adverſariis par eſt nos meliora ſperare, id unum ſuper eſt, ut miremur; quomodò novo dogmati ità hæreant affixi, ſi Janſenii ſenſum, & doctrinam de neceſſitate non excuſante, tàm piâ in Apoſtolicam Sedem voluntate, execrati ſunt. Miramur, inquam, at neutiquam illos condemnamus id enim ad Sanctam Sedem pertinet.

Conclusio tertiæ partis.

89 CONsilio ad capiendos animos apto in primis usi fuerunt Adversarii, quando dogma suum sanctitatis cujusdam famâ ac nomine, quodammodò consecrare instituerunt. Id ut perficerent, à peccandi periculo se magis remotos esse conati sunt suadere, magisque tutam decurrere viam, quam qua communis doctrina eundum demonstrat: & tamen revera fieri vix potest, quin longè plura perpetrentur peccata proprii nominis, & certior multò fiat æternæ salutis jactura, si ipsorum dogma verum sit. At non idcircò rejiciendum est, si modò ostendatur verum esse. Fateor: sed nego tamen inde peti posse ullam innocentiæ aut securitatis commendationem, cum majora potius denunciet pericula. At juvat prævidere pericula. Non inficior, si vera sint. Nam sæpè nocet, non veris terreri.

Hæc autem pericula, quæ Adversarii denunciant, ut vera essent, nihil tamen plus adjumenti ad illa præcavenda afferunt, quam doctrina communis. Si enim conatus adhibendi sunt ne ex ignoratione invictâ fiat peccatum proprii nominis; iidem quoque conatus adhibendi sunt, ne fiant impropriè dicta: & socordia in illis adhibendis vertitur culpæ, sicut diximus num. 86. Nullam igitur novam sollicitudinem ad vitanda peccata affert novum dogma, affert tamen minus

facul-

facultatis, & minus spei: quo fit ut remissior soleat reddi animus in studio virtutis. Hactenus igitur majora ad omnem virtutem præsidia apparent in communi sententiâ, quam in novo dogmate.

Ostendimus etiam verba illa Christi, *quam angusta porta!* &c. item illa Pauli: *o homo tu quis es?* &c. *altitudo* &c. ab Adversariis usurpari non in sensu Christi aut Pauli: quin imò claudi potius quam arctari ab illis salutis portam, indeque periculum oriri, quod non uno experimento probatum est, magis laxandi habenas ad vitia.

Denique causas consideravimus, quæ præcipuos dogmatis instauratores Cornelium Jansenium, & ante ipsum heterodoxos, ad ità docendum impulisse videntur, quæ ejusmodi sunt, ut ex illis non tam religio aut sanctitas major accedat ad novum dogma, quam periculum, ut possint Adversarii se satis expedire à propositione damnatâ, prout nobis quidem videtur. Itaque ex hisce non immeritò concludi putamus, vana successu Adversarios conatos esse ostentare in dogmate suo, nescio quam severitatis aut religionis speciem, cum minora ad salutem vel incitamenta, vel adjumenta afferat, quam sententia communis.

Conclusio totius quæstionis.

90 REa adhuc ſterit in judicio ignorantia invicta, accuſata ab Adverſariis, defenſa à nobis. Nos ab illâ provenire peccata impropriè dicta, & fatemur & dolemus. Adverſarii minimè contenti hac confeſſione, contendunt illam eſſe ream peccatorum nominis proprii, quæ non tantùm legi repugnent, ſed etiam vitio culpæque vertantur.

Quomodò autem id ſine voluntate malâ peccandi fieri poſſit, aut quomodò voluntas mala peccandi eſſe poſſit, quando nec cognoſcitur, nec cognoſci poteſt, quod peccetur, oſtendimus in primâ parte, ne cogitari quidem poſſe: & reſpondimus ibidem iis, quæ Adverſarii objiciunt.

In ſecundâ parte de veterum monumentis teſtimoniiſque actum eſt. Ad Adverſarios ſpectabat, demonſtrare dogma ſuum, quod tantoperè à communi ſenſu & ratione alienum eſſe videramus in primâ parte, vel in ſcripturis revelatum, vel ſaltem veterum communi conſenſione fuiſſe traditum. Nihil fecerunt, quin imò ſcriptores antiquos dogmati illi adverſari, non obſcurè probavimus.

In tertiâ tandem parte de ſanctitate dogmatis Adverſariorum diſputatum eſt, oſtenſumque magis facere ad ſeveritatem Chriſtianæ diſciplinæ; majoraque ad omnem ſanctimo-

niam,

niam, vel incitamenta, vel prælidia haberi, si nemo reus culpæ fiat, qui nec scit, nec vult peccatum fieri, quam si voluntes destituta omni cognitione & cupiditate mali statuatur nocens.

Ex quibus omnibus æquus arbiter, ni fallor, concludat nihil egisse Adversarios, & non modò ignorantiam ipsam, si vinci nequeat, esse innocentem, sed etiam id culpæ non posse adscribi, quod ab innocente proficiscitur.

Neque nobis difficile fuit causam insuperabilis ignorantiæ juris naturæ sustinere ac defendere, nam Adversarii non tam ignorationis invictæ quam cujuscumque ignorationis peccata videntur oppugnasse, prout suis locis nonnumquam annotavimus. Quasi verò nos, aut alius quisquam, semper innocentem esse ignorantiam assereremus, etiam tunc quando quomodocumqne voluntaria est.

Præterea infelices in hoc fuêre Adversarii, quod pleraque, quæ contrà ignorationem juris naturæ jecerunt tela, eadem in ignorationem invictam facti & juris positivi, quam tamen innocentem esse volunt Adversarii, retorqueri potuerint, sicut sæpius retorsimus.

Facilè etiam quicumque hæc legerit, poterit perspicere scriptores & auctores, de quorum testimoniis egimus, nequaquam Adversariorum morè de ignorantia disputasse. Ubi enim ignorationem juris naturæ invictam, tamquam no-

nocentem separant, ab invictâ ignoratione juris positivi, tamquam hæc innocens foret? ubi asserunt libertatem referendam ad Adamum? adhæc si concupiscentia insuperabilis excuset à peccato, cur non excuset etiam ignoratio insuperabilis? novum igitur videtur esse eorum dogma, neque admittendum, nisi & rationi non contrarium, & revelatum aut traditum esse liquidò ostenderint, quod ostensum minimè est.

91 Et verò quæ ratio boni suadere potest, ut novum illud dogma amplectamur? An boni honesti? non video equidem, quæ vel ab Auctoribus & præcipuis ejus instauratoribus, vel ab ipsâ re, quæ & rationi, & auctoritati, prout conati sumus demonstrare, tantoperè adversatur, possit novo dogmati honestas accedere. Quin imò parum accidere honorificum videtur scholis Catholicis, quòd id dogma natum in iis sit, quod Lutherus contrà *Papæ scholas*, ut loquitur, tantâ contentione defendit, quodque hæretici etiam hoc tempore, non quomodocumque (scimus enim probro verti non posse, quod in quæstione v. g. Sanctissimæ Trinitatis nobiscum Calviniani consentiant) sed ut omnino cum erroribus suis coniunctum, & sine quo putant suos illos errores defendi satis non posse, amplectuntur.

Delectabile suum dogma esse ne ipsi quidem Adversarii, ut opinor, dicent. Quid enim

enim potest excogitari aptius ad turbandos hominum animos? nam quamdiu manet ignoratio invicta, omnes Sacramentales confessiones erunt sacrilegæ, & iterandæ, & si quis illi immoriatur, frustrà sunt omnia sacramenta suscepta.

Dicent tamen illud esse utile. At ego ad nihil illud utile esse, manifestis, ni fallor, argumentis, ex iis, quæ in hac quæstione disseruimus, demonstrabo. Nulla enim potest esse utilitas eo tempore, quo ex invictâ ignoratione homo legem violat. Quomodo enim dogma hoc prodesse tunc potest, ne peccem, quando id, quod agere volo, judico omnino tutius, imò necessarium esse ? Jam vero omni eo tempore, quod vel præcedit illam legis transgressionem, vel sequitur, non potest novum dogma ullatenus esse utile. Nam quæcumque vel ad præcavendam ignorationem, & impediendam legis infractionem, vel ad imbecillitatis propriæ confessionem, animique dimissionem facere possunt, imò etiam quidquid eo ipso tempore, quo lex infringitur prodesse posset (si tamen aliquid tunc posset prodesse, dum ignoratio manet invicta) id omne, non minus à communi doctrinâ, quam à novo dogmate præscribitur. Nam peccata, quæ vocantur materialia, qui non vitat & prævertit, reus pœnæ & culpæ fit tunc, cum officio suo sciens & volens deest, vel ignorantiam aut socordiam,

rum poteſt, non ſuperat poſt peccatum verò materiale patratum, habet ſanè, quo ſeſe coram Deo vilipendat & deprimat, pœnitentiam tamen illam propriè dictam, etiam quamvis novum dogma eſſet verum, habere non poſſet; ſicut num. 23. notavimus ex D. Thomâ de peccato originali etiam non haberi. Ad quid igitur novum dogma utile erit? valet rectò ex adverſo ad turbandos & commovendos animos, eoſque ità dejiciendos, ut inde ad laxandas libidini libertatique habenas, excutiendumque jugum non durabile, impelluntur, ſicut in hæreticis hujuſmodi ſeveriorum dogmatum præconibus uſuveniſſe ſcimus.

Miſeros ſanè mortales, ſi novum hoc dogma verum ſit! quid enim juvat nos in peccando liberos eſſe à neceſſitate, quam afferret concupiſcentia, quod contrà Janſenium, Sancta Sedes definivit, ſi per ignorantiam invictam, fato, ut ſic loquar, non minus inevitabili, in peccata, & in exitium ſempiternum, nec ſcientes, nec volentes ruamus? quis tam immitis eſt in genus humanum, poſtquam Deus juſtitiæ ſuæ ſeveritatem tantam exercuit in poſteros Adæ, illos averſando propter peccatum originale, tamquam filios iræ, & tamquam reos culpæ & pœnæ antequam naſcantur, & antequam Deum noſſe poſſint: ut velit eoſdem, quamdiu vivunt, vulneribus tam cæcis & inevitabilibus obno-

xios

xios manere? sanè id ipsum de peccato originali non crederemus, nisi tam manifestis argumentis veritas illa luceret, & tamen idem de peccato actuali credi volunt Adversarii contrà rationem, & sine idoneâ auctoritate.

Quid? quod longè acerbior sit sors eorum, qui faciunt peccatum actuale ex ignoratione invincibili, quam eorum, qui contrahunt peccatum originale. Nam peccato originali divina clementia remedium conveniens posuit: scilicet Baptisma. At non videtur Deus ullum remedium reliquisse delendis peccatis ex ignoratione invictâ patratis. Non Baptisma. Nequit enim hoc iterum suscipi. Non contritionem, sive intrà, sive extrà Sacramentum, nam sicut explicuimus in primâ parte non potest de ejusmodi peccatis esse dolor verus, multò minus, propositum efficax non peccandi de cetero, sine quo proposito contritio nequit valere.

Quis verò credat optimum Deum qui Ezechielis 33. juratus testatur. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat:* qui ibidem clamat: *convertimini, convertimini.* Qui Matt. 9. dicit, se non venisse *vocare justos, sed peccatores:* quis, inquam, credat Deum, qui 1. Timoth. 1. *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, adamantinam hujusmodi legem sanxisse, ut rei culpæ & pœnæ tenerentur, qui sine ulla malâ voluntate ignari transgrederentur legem, nullo veniæ obtinendæ relicto remedio? præsertim cum originalis peccati labes

ſemel deleta non poſſit iterum contrahi; quotidie autem ſimus in periculo labendi ſemper in nova & nova peccata ob ignorantiam modò hanc, modò illam quæ ſuperari non poteſt. Hoccine eſt nolle mortem impii? Hoccine eſt velle ut convertatur?

93. Miſeros quoque Confeſſarios! nam quid ageret Confeſſarius cum eo, qui ſe hujuſmodi ignorantiæ peccatis accuſaret? exemplum unum è pluribus delibemus.

Quæſtio facti eſt an Semi-Pelagiani admiſerint gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei. Multi id ante Conſtitutionem Innocentii X. quæ incipit, *cum occaſione, &c.* Negarunt, & nunc vel maximè negant: aliqui cum Janſenio Iprenſi affirmabant. Sed quæſtio juris naturæ eſt, an illis qui cum Janſenio id affirmarent, liceat cæteros omnes tamquam Semi-pelagianos ſugillare, illorum famam auctoritatemque ubique imminuere, illos tamquam gratiæ Dei inimicos deſcribere, Catholicos ab eorum templis omni arte abſtrahere, denique & in privatis congreſſibus, & in concionibus ac pulpitis, ſcriptis etiam editiſque libellis ac foliis, tum ligato, tum ſoluto ſtylo id agere, ut unuſquiſque illorum conſuetudinem tamquam periculoſam & pernicioſam fugiat. Hæc, inquam, quæſtio eſt juris naturæ de præcipuâ lege charitatis. Et videmus ac ſentimus, hujuſmodi (ut nos interpretamur) Calumnias à multis ſtudioſe divulgari. Ignoſcendum illis eſt, & ignoſcimus Chriſtianâ volun-

voluntate perlibenter. Neque censemus damnandos omnes istos peccati veri, neque ex sententiâ nostrâ, desperata est illorum salus, si laboraverint ignoratione invictâ.

At quæro quomodò iidem damnandi non sint culpæ, aut quomodò salus illorum desperata non sit, si ignoratio invincibilis non excuset à peccato propriè dicto? si quidem (de quo ad minimum dubitari potest) iuerint contrà legem naturæ.

Si quis enim eorum melius deinde instructus & edoctus confiteatur hisce & illis artibus lesisse se famam talium virorum: sed penitus ignorasse nefas esse id facere: imò credidisse id Deo esse gratum, quia ii, quos Magistrorum loco habere debebant, id probare potius, quam vetare videbantur, quid cum hoc confitente faciet Confessarius? dubium non est, quin si fuerit ignoratio vincibilis, rectè se accuset de vero peccato, & recte possit de eodem dolere, & addicere se numquam id perpetraturum deinceps, ullumve aliud grave peccatum: poterit etiam Confessarius illum ritè dispositum, & redditâ, ut par est, famâ, quam abstulit, vel ad reddendam satis paratum, absolvere.

Sed quæro, quid faciendum, si ut juvat sperare, fuerit ignoratio insuperabilis? Absolvendus, inquis, est, si itidem rectè dispositus sit. At id quæro, quomodò rectè dispositus esse possit? Nam ut de dolore nil dicam: an non æquum est, ut Confessarius itá interroget fili peccasti,

nec

nec te excusat ignoratio quantumvis insuperabilis: sed statuisne quotiescumque hujusmodi insuperabilis ignoratio recurret, sive de hoc, sive de alio gravi peccato, numquam imposterum peccare? Hæret hic confitens: & quomodò, inquit, nunc spondere possum, me allaboraturum ut vitem peccatum tunc, quando nec sciam, nec scire potero peccati periculum esse vel minimum? At, reponit Confessarius, cave ne te occupet ignoratio illa invicta. Id equidem cavero, quantum potero, respondet confitens, sed sive in cavendo officium meum, ut decet explevero, sive non explevero, non video, quomodò spondere possim, me illo tempore non peccaturum, quando de peccato ne suspicio quidem oborietur, non magis quam spondere possum me declinaturum à viâ, quam teneo, ne conculcem hostiam consecratam tunc, quando nec illam video, nec videre possum. Quid ad hæc Confessarius? absoluetne pœnitentem? at non habet propositum efficax deinceps graviter non peccandi, dum recurret similis casus. Pergetne illum adhortari, ut id statuat, ac spondeat? At quantumvis pœnitens statueret, aut sponderet se hujusmodi peccata ignorantiæ numquam facturum, fides ei haberi non posset; non magis quam illi, qui sponderet, ut dixi, sese à viâ rectâ & necessariâ declinaturum, ne hostiam consecratam calcet, quando hanc nec sciet in viâ esse, nec scire poterit. Neque interest, jurisne an facti ignoratio futura sit, modò superari nequeat, ut non credatur

ei,

ei, qui se in hujusmodi ignoratione facturum aliquid aut omissurum spondere vult. Miser itaque est Confessarius, qui illum juvare nequit: miserior confitens, qui ob defectum propositi emendationis absolvi non potest: aut doceant nos Adversarii quid cum hujusmodi pœnitente agendum sit. Nam suadent ut hujusmodi pænitentes Confessarii * *privatim admoneant, ad pænitentiam adhortentur, & adducant.* Edisserant itaque modum istius pænitentiæ.

Miseri denique erunt omnes præfecti & Præsides tam Ecclesiastici, quam sæculares, omnes Judices, & causidici, cæterique ferè cujuscumque sortis homines. Imò nulla tribunalia vacua erunt scelere & iniquitate, in quibus de quæstione juris naturæ, vel semel sententia lata fuerit, nisi omnes fortè in unam eamdemque sententiam, eamque quæ vera sit, iverint. Non lubet pluribus persequi incommoda, timiditates, cæterosque animorum motus sanè graves & permolestos, qui nascerentur ex novo dogmate, si verum foret. Unusquisque poterit illa apud animum suum colligere, & perpendere ex iis, quæ hoc opusculo dicta sunt.

94. Profectò minimè mirum est, quod Havermannus, sicut num. 11. retulimus, non ferens novi dogmatis sui absurdam duramque sententiam conatus sit se extricare omnibus istis molestiis, asserendo omnem ignorationem juris naturæ vincibilem esse. En quo se recipiat.

Quis

Quis umquam Sanctus Pater hujusmodi effugio usus est?

Quis enim nescit, imo quis non sentit id verum non esse? cur non eâdem operâ asserit omnes Mathematicas propositiones, quorum veritas in naturâ & ratione fixa & firma consistit, cuilibet quantumvis indocto homini cognitas perspectasque esse, sic ut ignorationem omnem, si quam habet, pellere possit, præsertim dum se offert occasio iis utendi, vel ad privatam vel ad publicam utilitatem: certè sunt multæ quæstiones juris naturæ magis obscuræ, magisque implexæ, in Theologiâ, quam in Mathematicâ.

At quid vetaret eodem jure dicere omnen concupiscentiam esse vincibilem?

Vereri quis posset ne tandem aliqui renovent errores illorum, contrà quos disputat S. Hieronymus, sicut notavimus num. 67. qui in perfectis nullam ignorantiam asserebant dari. Cur enim unum non liceat æquè asserere, quam alterum? cautior tamen fuit Epistola, quæ non loquitur tam fidenter, sed dubitare tantummodò videtur.

Et ipsemet Havermannus satis sensit non licere sibi tuto hic pedem figere: ideò denique in aliam formam mox se convertere velle videtur, ac dicere quod eo tantummodò sensu omnis ignorantia vincibilis sit, quia saltem dubitare

Epist. §. 19.

tare aut suspicari quis potest malum esse id, quod parat agere. Sed sicut num. 45. & alibi notavimus, nihil hoc Adversarios juvare potest, saltem dum duplex utrumque urget præceptum. Nam ne ignorantia quidem malitiæ superabilis hominem hujusmodi perplexum liberare à peccato vero potest si placita sequamur Adversariorum, nedum suspicio quævis, si modò illam partem eligat, quæ juri naturali adversatur. Quod fieri potest etiam tum, cum putat eligere se id, quod probabilius apparet. peccabit igitur necessariò, quod dici non potest. Adde quod ne dubitandi quidem locus nonnumquam sit, aut ulla mali suspicio aut cogitatio, sicut num. 39. 40. & alibi indicavimus & ostendimus. Verum igitur non videtur esse, quod dicit Havermannus. Profectò neque hoc genus effugii notum aut usitatum fuit Sanctis Patribus.

Hæc ipsa, in quâ versamur, quæstio nonne Havermannum penitus revincit? Est enim quæstio, ni fallor, juris naturæ: sed idem est de quâlibet aliâ quæstione juris naturæ, quæ in utramque partem à doctoribus solet disputari. Si itàque omnis ignoratio juris naturæ vincibilis est, alterutra pars vincere illam potuit dudum, ac debuit. Rea est igitur culpæ non levis, quod doctrinam falsam, quamque falsam esse vel cognovit, vel cognoscere potuit, voluerit defendere cum tanto strepitu animo-

animorumque motu, cum tanto ſcandalo multorum. Vel Lutherum & Calvinum, vel Papæ Scholas damnare oportebit.

Ego verò de me ſpondere, & de iis quos ſequor, omnino confidere poſſum, quod nihil magis optemus & quæramus, quam veritatem, è veſtigio ad contrariam partem tranſituri, ſi veritatem ab illâ ſtare ſciremus: ſed quò magis illam quærimus, eò magis illam à novo dogmate alienam eſſe invenimus, & bonâ fide cenſemus. Spero itaque nos idcircò reos culpæ non fore, & , ſi erraremus, erraturos nos ex ignoratione hactenus inſuperabili: quia omnino exiſtimamus nos longius à veritate abſceſſuros eſſe, ſi novum dogma amplecteremur.

Viciſſim quoque Adverſariorum multos eâ in Deum religione, & in proximos pietate confido eſſe, ut fas ſit credere, ſi vera ſit doctrina communis, eos inſuperabili potius ignoratione abripi, quam ſocordiæ, graviorisve noxæ damnandos eſſe.

Ac nominatim de viro illo qui Epiſtolam dedit, lubentiſſimè profiteor, me ejus proſapiæ nobilitatem æſtimare, dignitatem ſacram venerari, religioſiſſimos mores laudere, zelumque cum doctrinâ conjunctum ſuſpicere. Abſit itaque à me, ut talem ac tantum virum peccati reum agam. Probabili potius & inſuperabili cuidam ignorationi,

nos

nos qui sententiâ dissidemus, illa quæ scripsit habuimus; quam menti aut voluntati non re-ctæ.

Nequit verò Havermannus utramque partem à peccato propriè dicto liberare, sed alterutram damnet necesse est. Damnare adeò oportebit etiam alterutram partem sanctissimorum scriptorum, qui inter se de quæstionibus juris naturæ umquam contenderunt. Quis autem id audeat facere?

Denique si omnis ignoratio juris naturæ vincibilis est, jam vis omnis testimoniorum, quibus Adversarii conati sunt probare ignorationem invictam non excusare, debilitata penitus & infracta est. Nam illi sancti scriptores, si de ignoratione invictâ locuti non sunt, non potuerunt dicere, quod illa à peccato non excuset. Tollitur enim subjectum, de quo id prædicetur. Si verò de invicta ignoratione locuti fuerint, quâ fiduciâ contrà illos venit Havermannus?

Sed perstringamus paucis summam rei. Certum erat Adversariis non deserere causam dogmatis sui de ignoratione insuperabili non liberante à culpâ: attamen durum horridumque videbatur meritò esse. Mollienda proinde erat ejus asperitas. Id ut facerent, dicere statuerunt nullam juris ignorantiam insuperabilem esse. Cum verò id incredibile dictu esset, cogerenturque agnoscere, neque semper, neque à quovis, neque quamvis juris naturæ ignorantiam vinci posse, etiam tum,

quando quidpiam statuendi agendique præsens adesset occasio; tandem ad repentinam quamdam dubitationem, quæ id temporis omnibus semper suboriretur, confugerunt. Sed adeò hisce quæsitis coloribus duritiam illam dogmatis non mitigarunt, ut in duriora potius consectaria conjecti sint. Nam primùm incredibilia sunt, quæ de illâ repentinâ dubitatione narrant, & usui experimentoque quotidiano contraria, sicut num. 39. & 40. ostendimus. Deinde, qui dubitat, is, nî fallor, ignorat, utra pars vera sit. Quæro igitur hic iterum, an hæc ignorantia insuperabilis sit? an vincibilis? si insuperabilis sit: cur adhuc negatur ullam juris naturę ignorationem insuperabilem esse? vinci, inquies, potest, sed tempore eò breviori, vel longiori, quo quis minori majorive pollet vi ac facultate obscuras res investigandi: aut certè quo citius seriusve contigerit copiam fieri viri docti, qui ignorantem doceat: intereà actione illâ supersedendum. Durissima enim vero lex. Quædam enim sunt in omni argumento v. g. de censibus, quę ne improbo quidem seculorum plurium labore, satis enodari potuerunt, ut etiamnum ignoretur, utrum è duobus verum sit. Insuperabilis ergo illa ignorantia fuit tot viris ingenio prudentiaque acutissimis, ad nostra usque tempora. Ergòne omni v. g. censu personali supersedendum fuit hactenus? cur igitur Academici Lovanienses aliique, qui nil nisi severitatem spirare videntur, census illos tantâ diligentiâ perquirunt, exiguntque? Parumne durum videtur Adversariis tot Eximios viros,

tot

tot collegiorum Præsides peccati propriè dicti damnare? damnandi tamen sunt ex illorum sententiâ, nam nulla ignorantia, nedum dubitatio liberare quemquam potest. Nec idem poterit præstare consiliarius quantivis pretii, si erret. Falli autem potest, & fallere. Itaque & qui consilium petit, & qui dat exponunt se peccandi periculo. Præterea si rudi cuivis & inculto, mox ut negotia ad jus naturæ pertinentia, tractari debent, semper oboriatur repentina illa dubitatio; multò magis oborietur illa viris doctis, quibus solent in promptu esse dubitandi causæ & rationes. Debebunt itaque severiorem partem semper in scholis suos docere: quamquam nec hoc satis tutum est. Quid enim, si pars altera, quod fieri potest, vera sit? an non à veritate atque adeò à Christo (sicut Adversarios audimus ratiocinantes num. 27.) infeliciter aberrarent, aliosque in eumdem errorem inducerent? Quapropter intermittenda potius erit omnis hujusmodi scriptio, quâ solent Magistri illi conquisitis undique rationibus opinionem suam, quam possunt validissimè tueri, & confirmare. Neque satis erit monere auditores, ne ex sententiâ, quæ traditur agant. Nam timendum est, ne apud discipulos plus noceant vel momenta rationum, vel auctoritas sic definientis Magistri, quam prosit adhibita cautio. Quid? quod plures monere id non poterunt? Plurimi enim Adversariorum dogma, ut falsum omnino respuunt, ac proinde mitiores, quas nonnum-

quam habent opiniones, ut in actionibus humanis, honestas omninò ac tutas proponunt. Durissimum autem est tot Religiosissimos viros, qui anteactis seculis id fecerunt, scandali, culpæque non levis reos constituere, & damnare. Damnandi autem essent, vel quia errarunt, vel quia errandi periculo se, alios que exposuerunt. Eoque gravioris noxæ & illi, & cum illis SS. Patres, qui pro mendacii honestate dicuntur decertasse num. 45. Damnandi sunt, quod jam non ex ignoratione insuperabili, sed cum dubitatione & suspicione malitiæ illos peccasse dicunt Adversarii.

Viderint nunc Adversarii, quomodò judices in quæstionibus juris naturæ contrarias inter se sententias ferentes, quomodò sese, ac nos à graviore peccato possint liberare. Alterutros enim damnare oportet, si cùm dubitarent, tantis tamen animis pro suâ parte depugnarint. Nam dogma Adversariorum nullum relinquit locum conscientiæ componendæ. Nihil juvat conscientia, si aberres à veritate *materiali*. Nefas proinde ipsis fuit doctrinam suam tanto studio divulgare, omnibusque inculcare.

Nam meritò videtur dubitari posse, an satis sejungi possit à Bajanis & Jansenianis damnatis; nec hæc dubitatio illos potuit latere, si enim animos rudium subeat dubitare, quando res juris naturæ tractandæ sunt, credi non potest repentinam hujusmodi dubitationem negari Doctioribus, si hi antè non dubitarint. Intermittenda

itaque

itaque fuit omnis scriptio, & intermittenda erit deinceps: si dogmatis sui leges nolint infringere, quibus nos quidem in communi sententiâ non ità adstringimur. Si verò dubium, & non satis certum dogma tam disertè, indubitanter, & asseveranter pergant proponere, aliosque ex eo dirigere, viderint iterum, quomodò per leges, quas ipsi sibi condiderunt liberi à peccato eoque gravi esse possint.

Denique dum utrimque concurrunt præcepta inter se pugnantia, patet quod necessitas peccandi per dubitationem non magis, quam per ignorantiam auferri possit. En quot animi angoribus, quot peccandi inextricabilibus periculis implicatum, atque irretitum sit dogma Adversariorum, quomodocumque illud verses. Durum horridumque visu manet, in quamcumque partem oculos vertas.

Concludamus proinde & dari ignorationem invictam juris naturæ, & per hanc nos liberari à culpâ.

95. Atque ità manet firma & inconcussa hæc D. Augustini vox num. 12. relata: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras*. Et hæc: *an tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? si ità est, nulla peccata sunt.*

Item illa Angelici Doctoris ibidem laudata: *si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est* INVINCIBILIS, *sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia* OMNINO (nota, non dicit *à tanto*, sed *omnino*)

nino) excusat à peccato. Et hæc: *Manifestum est autem* (nota *manifestum est*) *quod ignorantia*, quæ *totaliter* (nota, non dicit *à tanto*, sed *totaliter*) *a peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit* (nota, iterum *non minuit*, excusando scilicet *à tanto*) *sed aufert*: excusando scilicet *à toto*.

Manent, inquam, hæ aliæque plures eorumdem Doctorum, aliorumque voces, quas suis locis dedimus, invictæ hactenus & inexpugnabiles.

Ad extremum omnia sint subjecta Apostolicæ Sedis judicio. Disputatoris enim partes agere intendi, non judicis.

Christi vero servatoris nostri supremo in terris vicario, & hæc & totum me addico, devoveo, ac consecro ad gloriam & laudem omnipotentis Dei. Amen.

FINIS.

APPENDIX.

QUamvis Epistola illa, contrà quam egimus, minimè hic dandam esse censuerimus, sine consensu vel Illustrissimi illius viri, qui eam scripsit; vel superioris Religiosi ad quem scripta est: non putavi tamen malam gratiam vel apud hunc, vel apud illum me initurum, si ea dumtaxat hic ponerem, quæ ad rem ipsam, & ad communem causam faciunt, omissis omnibus, quæ privata sunt, & ad personas potius spectare videntur. Qua-

propter,

propter, quod ipso initio disputationis receperam me facturum., subnecto hic præcipua quæque capita, quibus ferè cetera continentur: idque ordine Epistolæ ipsius, quæ apud me in paragraphos 20. distributa est: & ad singula capita adjungo unam alteramve responsionem brevem & succinctam, ad formam & modum in scholis usitatum.

Brevis series & epitome totius Epistolæ, cum brevi ad singula capita responsione.

Ad sex primos paragraphos nihil videtur nunc quidem necesse respondere: sunt enim quasi ingressus quidam ad disputationem.

§. 7. *De sacrâ scripturâ.*

Epistola.

96. PSalmo 24. David orat, *ut ignorantias ejus non meminerit Deus*: non supinam, credo non crassam...,.... de illâ ergò loquitur quæ cuilibet justo potest accidere.

Responsio.

Distinguo consequens. igitur loquitur de illâ quæ cuilibet justo potest accidere, & vincibilis est. Concedo consequentiam. Loquitur e invincibili. Nego consequentiam. Vide sup. num. 51. ubi locus iste explicatur, & plures respondendi viæ aperiuntur.

Epistola.

97. Legimus num. 15. *quod si per ignorantiam præterieritis quidquam*, &c. per ignorantiam ergo peccabat populus. Confirmatur hoc ex Apostolo ad Hebræos 9. ubi dicitur *veteris legis Pontificem sacrificium obtulisse, pro suâ & populi ignorantiâ.*

Responsio.

Distinguo consequens: ergò per ignorantiam populus peccabat, vel legaliter, vel materialiter, vel etiam, dum ignorantia erat vincibilis, formaliter. Concedo consequentiam. Peccabat formaliter & proprii nominis peccato ex ignorantiâ invincibili. Nego consequentiam. Vide suprà numerum 52. ubi pluribus hæc responsio explanatur.

Epistola.

98. Deicidæ & Christi ac Apostolorum interfectores ignorabant se malè agere. Ergò fuerint innocentes, quod tamen horret animus vel cogitare. Probatur antecedens. Quia lucæ 23. habetur: *non enim sciunt, quid faciunt.* Et Joan. 16. *Venit hora, ut qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Sicut olim filii levi Exod. 32. qui ad imperium, Moysis viginti tria millia hominum occiderunt ad vindicandam vituli aurei idololatriam,

Responsio.

Responsio.

Distinguo antecedens, cum suâ probatione. Ignorabant se malè agere, non sciebant, quid facerent, putabant se sacrificium offerre Deo, per ignorantiam voluntariam, imò & affectatam, prout ex D. Thomâ & D. Augustino ostendimus numero 53, concedo antecedens. Per ignorantiam invincibilem nego antecedens. Ad exemplum filiorum Levi do discrimen manifestum. Filii Levi obediebant Moysi legislatori à Deo constituto. Deicidæ obediebant diabolo & malis cupiditatibus suis. Filii Levi faciebant id ad vindicandam & extirpandam idololatriam: Deicidæ verò ad extirpandum verum Dei cultum &c.

Epistola.

99. Dicit Christus Lucæ 12. quod *servus, qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis vapulabit paucis.* Quid clarius?

Responsio.

Distinguo assumptum. Dicit Christus, quod vapulabit paucis, qui voluntatem Domini non cognovit, per ignorantiam voluntariam, sicut ex Theophylacto diximus num. 54. concedo assumptum. Per ignorantiam invincibilem. Nego assumptum. Eodem numero videri possunt plura notatu digna, de duplici voluntate Domini, &c.

Epistola.

100. Christus dicit Joan. 15. *si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Infidelitatis scilicet ergà ipsum, & incredulitatis ergà

incarnationis & redemptionis mysterium. Cum enim cognitio mysteriorum, ad legem naturalem non pertineat, nisi exterius promulgentur; nec eorum ignoratio peccato vertitur.

Quod autem de mysteriorum cognitione & fide pronunciat Christus, de positivo jure pari ratione pronunciandum est. Cum enim jus positivum à legislatoris merâ voluntate pendeat, ipsius cognitio non magis nobis congenita est, quam mysteriorum. Atqui non ità de jure naturali disputandum est. Ergò ignoratio juris naturalis non excusat à peccato. Probatur consequentia. Cum enim sit *illius opus scriptum*, ut ait Apost. Rom. 2. *in cordibus nostris*, ejus etiam ignoratio meritò nobis imputatur: cum illa sit semper vel peccatum propter negligentiam, vel pœna peccati, ac propterea nullam umquam excusationem mereatur.

Responsio.

Distinguo minorem. Atqui non ità de jure naturali disputandum est: si quæstio sit, circa dispensationem in lege, circà abrogationem, vel mutationem, aliaque similia. Concedo minorem. Si quæstio sit de eo, sine quo peccati actualis natura ne concipi quidem potest. Nego minorem. Non magis enim unum jus aut ejus ignorantia potest causa esse peccati, absente v. g. voluntario, quod est de naturâ peccati, quam alterum jus ejusve ignorantia. Ad probationem dico similiter, non posse id, quod est pæna peccati, causam esse alterius peccati, absente eo, quod est de naturâ peccati.

peccati. Sicut concupiscentia, quæ est pæna peccati non erit causa alterius peccati absente libertate, etiam tum cum transgressio legis per concupiscentiam perpetratæ, est summè voluntaria. Itaque magis id dicendum de ignoratione invincibili, quæ & liberum & voluntarium simul videtur tollere; vide suprà num. 28. & 55.

§. 8. *Nihil habet, quod hic putemus notandum.*

§. 9. *De sanctis Patribus.*

Epistola.

101. S. Augustinus lib. de naturâ & gratiâ cap. 67. illa verba: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras*, &c. repetiit, non tam ad aliquam peculiarem veritatem astruendam, quam ut castum eorum sensum vindicaret.

Responsio.

Distinguo assumptum. Ut castum eorum sensum contra Pelagianos vindicaret confirmando veritatem lib. 3, de libero arbitrio cap. 19. contrà Manichæos astructam & stabilitam. Concedo assumptum, ut vindicaret sensum ullatenus immutando. Nego assumptum. Vide num. 58.

Epistola.

102. Quando Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. dixit: *Rectè enim fortasse quererentur si erroris & libidinis nullus hominum victor extitisset.* Insinuat ideò Deum justè non accusari, imputando ignorantibus peccata, quia ignorantia

rantia & error vinci possunt.

Responsio.

Concedo totum. Illa videlicet est S. Augustini & nostra sententia. Sed audiamus probationem, vereor enim ne hæc ab Augustini & nostrâ mente discedat.

Epistola.

103. Probatur assumptum. Si enim ignorantiæ & erroris quidam victores existant, ergo vincere si velint possunt & alii. Explicatur probatio. Non volo docere omnes paribus gratiæ auxiliis juvari, eamdemque facilitatem sortiri; sed quod nemo non sperare possit, & debeat, se posse vincere. Probatur explicatio. Quia alios videt gratiâ adjutos victores existere.

Responsio.

Nego sequelam probationis. Est enim hujusmodi: si Goliathi victor extiterit David viribus & robore valens, ergò vincere Goliathum si voluissent, potuissent & alii, quamvis viribus illis sive naturalibus, sive supernaturalibus destituti, & infirmi. Explicationem distinguo. Si habeant saltem sufficientia auxilia, & vires sufficientes vincendi, tunc nemo non sperare potest, & debet. Concedo explicationem si desint auxilia gratiæ sufficientia, viresque sufficientes vincendi, tunc illi quibus hæc desunt sperare possunt & debent. Nego explicationem. Non magis enim sperare tales possunt, quam possit infirmus sperare, quod vincet Goliathum, si desint ipsi funda & lapis, & vires, sine quibus v. g. David Goliathum vincere

non

non potuisset. Probationem explicationis similiter distinguo. Sperare potest, quia videt alios victores existere gratiâ adjutos, quam ipse quoque habet, vel habere potest. Concedo probationem. Si parem necessariamque ad vincendum gratiam nec habet, nec habere potest. Nego probationem. In ignorantiâ autem invincibili, desunt vires vincendi illam; neque adeò sperare potest, imò nec cogitare, se victurum vide num. 37.

Epistola.

104. Ex verbis Augustini colligitur unumquemque reum esse, non quod præcisè ignorat: sed quod scire negligat. Probatur assumptum. Nam Deus adest, ut eum doceat, si eum sicut oportet, deprecetur. Ergò licet non semper sit peccatum juris naturalis ignorantia, numquam certè peccati excusatio est.

Responsio.

Concedo assumptum. Est enim illa iterum S. Augustini & nostra doctrina. Sed tamen probationem ejus distinguo. Deus adest, ut eum doceat, si eum, sicut oportet, deprecetur, tunc quando vires ipsi non desunt, ut deprecetur, sicut oportet. Concedo probationem. Tunc, quando vires illæ desunt. Nego probationem. Consequentiam item nego. Nihil enim dictū est, unde concludi possit, quod ignorantia numquam sit peccati excusatio. *Epistola.*

105. S. Augustinus contrà Manichæos disputans, docet ea, quæ ex ignorantiâ aut cum ignorantiâ non rectè fiunt, *vera* esse peccata.

Responsio.

Responsio.

Nego assumptum. Nam epistola addidit illam vocem, *Vera*, contrà manifestam mentem S. Augustini, qui docet illa non esse peccata proprii nominis. Vide num. 57.

Epistola.

106. Si autem Augustino objiciatur, eum qui sic peccat, carere libertate ad peccandum necessariâ: hoc totum acceptum refert primævæ Adami peccantis libertati.

Responsio.

Nego assumptum. Nihil simile in Augustino reperitur. Quam autem illud videatur absurdum esse, vide num. 35. & deinde num. 56. 57. 58. & 59. ubi locus ille S. Augustini contrà Manichæos sic exponitur & confirmatur, ut tota (ni fallor) epistolæ explicatio labefactetur.

Epistola.

107. S. Augustinus epist. 105. ad Sixtum, dicit: quòd *ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt sine dubio peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati; ergò in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Dicit id de ignorantiâ juris naturæ, aut de violantibus legem ex ignorantiâ juris naturæ. Nego assumptum. Dicit de ignorantibus euangelium, sive jus positivum. Concedo assumptum. Atque hinc manifestum est, ignorationem juris positivi etiam esse pœnam peccati: atque adeò, si epistolæ doctrina

vera

vera esset, etiam verum futurum, quod ignorantia invincibilis juris positivi non excusaret. Vide num. 60, 61, 62, & 63, ubi locus ille diligenter explanatur, & simul examinantur quædam corollaria, quæ Epistola colligit & proponit.

Epistola.

108. S. Chrysostomus non debet inter illos auctores recenseri, qui existimant juris naturalis ignorantiâ tolli peccatum. Sed iis debet adjungi, qui putant non dari omnimodam aut etiam invictam legis naturæ ignorantiam.

Responsio.

Nego assumptum. Vide num. 64. 65. & 66. ubi contrarium ostenditur: simulque respondetur, ad locum ejusdem S. Doctoris, quem Epistola affert ex lib. 6. de Sacerdotio cap. 7.

Epistola.

109. S. Hieronymus Dialogorum adversus Pelagianos lib. 1. cap. 10. sub personis Critobuli & Attici, opinionem eorum, qui favent innocentiæ ignorantium, non oppugnat modò & pessumdat, sed & planè deridet.

Responsio.

Distinguo assumptum. Deridet illos, qui nulla, saltem in quibusdam hominibus agnoscunt ignorantiæ peccata, imò ne ignorantiam quidem. Concedo assumptum. Deridet illos qui agnoscunt plurima ignorantiæ peccata, & favent ignorantibus invictè. Nego assumptum. Vide num. 67. ubi locus ille sanctissimi Doctoris pluribus declaratur.

Epi-

Epistola.

110. S. Gregorius 19. Moralium, *Crebrò*, ait, *peccatum, aut ignorantiâ aut infirmitate perpetratur.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Ait, quod perpetratur ignorantiâ & infirmitate vincibili. Concedo assumptum. Invincibili. Nego assumptum. Juverit videre num. 68.

Epistola.

111. S. Bernardus lib. de præceptis & dispensatione cap. 14. dicit: *Sive itaque malum putes bonum, quod fortasse agis . . . . peccatum est.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Dicit peccatum esse, si malum putes bonum opinione vincibili. Concedo assumptum. Si credas esse bonum ignoratione invincibili: Nego assumptum. Accuratè totus locus explicatur num. 69.

§. 10. *De Scholasticis.*

Epistola.

112. S. Thomas 3. par. qu. 80. art. 4. dicit, *Quod non habet aliquis conscientiam peccati sui, . . . per culpam suam: quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Dicit id contingere per ignorantiam, non qualemcumque, sed per eam *quæ non excusat*, scilicet per vincibilem. Concedo assumptum. Per ignorantiam juris, *quæ excusat*

qualis

qualis est invincibilis: Nega assumptum habes n. 70. locum istum accuratè expositum.

Epistola.

113. Si consulas quodlibet: 8. art.13. videbis eumdem Doctorem disertè scribere, illud quod est contrà legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quod est secundum conscientiam.

Responsio.

Distinguo assumptum. Scribit non excusari per hoc, quod est secundum conscientiã, vitio & culpâ suâ errantem. Concedo assumptum. Secundum conscientiam errantem invincibili ignoratione. Nego assumptum. Operæ pretium erit videre num.71.

Epistola.

114. Idem quodlib. 9. ar.5. *Expreßè ait errorem quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, non excusare à toto, licet fortè à tanto.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Ait, errorem vincibilem, & in quæstione, qualem ibi tractat, cujus veritas est ambigua, non excusare à toto. Concedo assumptum. Invincibilem, & de re, quæ nullo modo apparet ambigua. Nego assumptum. Vide nu. 72, ubi ostenditur, quomodò totus ille articulus Adversarios oppugnet. Videndus etiam numerus 36.

Epistola.

115. Magister sententiarum lib.2. dist.22. §. 10, docet *ignorantiam eorum, qui simpliciter nesciunt, non excusare à peccato.*

Responsio.

Nego assumptum omissa enim est vox, *quasi*, dicit enim, qui *quasi* simpliciter nesciunt, per quam vocem indicatur ignorantia vincibilis. Vide num. 74.

Epistola.

116. Alphonsus à castro lib. 1. de potestate legis pænalis c. 2. dicit, quod *Theologi omnes concorditer docent ignorantiam legis naturæ neminem excusare*, &c.

Responsio.

Distinguo assumptum. Dicit id de ignorantiâ vincibili, quoad principia videlicet prima & generalia legis naturæ. Concedo assumptum. De invincibili quoad conclusiones magis remotas ab illis principiis. Nego assumptum. Vide num. 39. & totum caput 9. partis 2.

Epistola.

117. Canonistarum effatum est: *Iuris naturalis ignorantiam in omnibus adultis esse damnabilem.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Effatum est, vel de primis naturæ principiis, vel de ignorantiâ vincibili, vel de eâ quæ præsumitur. Concedo assumptum. De invincibili prout eam defendimus. Nego assumptum. Vide num. 75. & 78.

De aliis verò Scholasticis, quos epistola nominat; nullis eorum datis verbis: Vide singulorum mentem examinatam à numero 74. usque ad numerum 78.

§. 11. De

§. 11. *De Hæreticis.*

Epistola.

118. QUod Hæretici idem dicant, illud neminem, ut opinor, terrere debet. Neque enim omnia, quæ dicuntur & scribuntur ab Hæreticis, hæretica sunt &c.

Responsio.

Distinguo assumptum. Neminem terrere debet, si quid hæretici dicant, quod nullo modo est conjunctum aut affine errori. Concedo assumptum. Si videatur esse conjunctum aut affine errori. Nego assumptum. Tunc enim terrere debet, & ad rem perdiligenter examinandam permovere. Vide num. 49.

§. 12. *De possibilitate non peccandi.*

Epistola.

119. HIc laborat, ut dogma suum secernat à 5. Propositionibus damnatis: & conciliet cum eo, quod Deus impossibilia non jubet: & dicit hic attingi totius quæstionis cardinem: *Vixque aliquid*, inquit, *mihi videtur in totâ Theologiâ difficilius*, & vocat: *profundum tantæ difficultatis pelagus.* Ergò, dicendum hic est, ut censet; *O! homo tu quis es, qui respondeas Deo*, &c. & exclamandum: *O! altitudo!* &c.

Responsio.

Distinguo assumptum. Sic est dicendum & exclaman-

clamandum in dogmate Revelato. Concedo assumptum. In dogmate non revelato, quale illud est. Nego assumptum. Vide totam partem secundam & in parte tertia num. 84.

Epistola.

120. Illa, quæ ex ignoratione invincibili objicitur impossibilitas, ad possibilitatem reduci potest, per precationem.

Responsio.

Distinguo assumptum. Si precatio possibilis tunc sit. Concedo assumptum. Si ipsa possibilis non sit. Nego assumptum. Vide num. 37.

Epistola.

121. Saltem dubia & probabilis est sententia negans excusare ignorantiam à peccato. Ergò non potest specie probationis hypotheticæ, injuria tyrannidis Deo impingi, sine blasphemiæ periculo. Quid si enim fortè vera esset sententia illa?

Responsio 1.

Distinguo antecedens. Dubia & probabilis est: hoc est, non est ab Ecclesiâ expressè confixa. Concedo antecedens. Dubia & probabilis est, quatenus nobis licet judicare ex locis Theologicis, salvâ semper & integrâ auctoritate Sedis Apostolicæ. Nego antecedens. Nam illam ne probabilem quidem sic posse censeri, ostendere conati sumus totâ hac disputatione.

Responsio 2.

Quamvis probabilis censeri posset, distinguo consequens. Non potest id fieri hypotheticè sine periculo

periculo blasphemiæ, si is, qui id facit, non sit paratus captivare intellectum in obsequium fidei, tam quoad hypothesim, quam quoad id, quod ex hypothesi deducitur, quando sancta Sedes contrarium decerneret. Concedo consequentiam. Si sit ad id paratus. Nego consequentiam.

Epistola.

122. Tyrannidis Deus non accusabitur, quod damnet infantem non baptizatum, qui nec potuit petere, nec suscipere baptismatis lavacrum: aut adultum barbarum, qui non potuit scire, id quod scitu necessarium est necessitate medii. Ergo verum potest esse dogma epistolæ, quamvis veritatis ratio & concordia nos lateat.

Responsio 1.

Distinguo consequens. Si dogma epistolæ esset revelatum, sicut revelatum est dogma v. g. de peccato originali. Concedo consequentiam. Si non sit revelatum, prout non esse revelatum ostendimus totâ parte secundâ. Nego consequentiam.

Responsio 2.

Secluso peccato originali, & actuali ob quod tales damnantur, sicut num. 32. & 61. videri potest ex D. Thomâ, & D. Augustino. Distinguo antecedens. Deus hypotheticè, contrà eum qui vellet talem hominem damnare absque ullo peccato, accusari non posset tyrannidis, si nullo modo ne remoto quidem aut per alios ullos posset talis homo juvari. Nego antecedens. Si aliquò modo posset juvari. Concedo antecedens. Saltem fortassis de eo disputari posset, si secluderetur omne

omne peccatum tam actuale, quam originale: suppositis præsertim præsentibus decretis divinis.

Epistola.

123. Injustus non est judex, qui pœnitus à lege constitutis adjudicaverit homicidam, qui hominem ebrius percusserit. Ergò nec Deus puniens agentem ex ignorantiâ invincibili.

Responsio.

Nego consequentiam. Disparitas est, quod judex humanus debeat procedere secundum præsumptionem externam: Deus autem intuetur cor. Vide n. 33.

Epistola.

124. Nascimur obligati peccato originali, & filii iræ. Ergo Deus potest punire agentem ex ignorantiâ invincibili contrà legem.

Responsio.

Nego consequentiam. Nam hoc differt natura peccati originalis à naturâ actualis. Quod illud contrahatur ex voluntate alienâ; hoc fiat voluntate propriâ. Deinde de peccato originali revelatū est, de peccato ignorantiæ invincibilis nulla est revelatio. Neq; adeò possumus ex præsenti statu divinorum decretorum id concludere, quamvis de potentiâ absolutâ esset possibile. Vide n. 18. 19. & 29.

Epistola.

125. Ignorantia est invincibilis ad tempus, quamdiu peccato obligamur: absolutè tamen non est invincibilis, cum possimus à peccato per gratiam resurgere. Ergò non excusat.

Responsio.

Distinguo antecedens. Possumus per gratiam resurgere,

resurgere, quando eam habemus, vel habere possumus. Concedo antecedens. Per gratiam, quam nec habemus, nec habere possumus, dum peccandum est, aut à peccato declinandum. Nego antecedens. Vide num. 37.

Epistola.

126. Si admittatur excusatio ex juris naturalis ignoratione, ergo quo plura quis admiserit crimina, eò imposterum evadet innocentior in peccatis admittendis. Probatur sequela. Quia majori laborabit ignorantiâ.

Responsio 1.

Distinguo assumptum. Eò evadet innocentior si omnium admissorum criminum obtinuerit innocentiam. Transeat assumptum. Si in præteritorum criminum reatu maneat. Nego assumptum. Dixi. *Transeat.* Nam non evadet innocentior propter peccata præterita: sed quia redactus esset ad statum, in quo deesset potentia peccandi; sicuti qui peccando in amentiam incidisset.

Responsio 2.

Nego sequelam assumpti. Ejus probationem distinguo. Eò majori laborabit ignorantiâ vincibili, & voluntariâ. Concedo probationem. Invincibili. Nego probationem. Vide de his num. 34.

Epistola.

127. Qui agit ex ignoratione invincibili contrà legem naturæ non assequitur veritatem. Ergo non assequitur Christum qui veritas est. Ergo recedit à Deo. Ergo peccat. Probatur consequentia.

quentia. Quia peccatum nihil aliud est, quam aversio & recessus à Deo.

Responsio.

Distinguo antecedens ex mente D. Thomæ, quam vide num. 47. non assequitur veritatem materialiter. Concedo antecedens. Formaliter. Nego antecedens. Ad eumdem sensum distinguo ea, quæ illata sunt; & etiam ipsam probationem. Vide num. 27. ubi pluribus explanatur hoc argumentum.

Epistola.

128. Secundùm scholam Jesuiticam gratia sufficiens omnibus semper adest. Ergò omnis ignorantia semper est vincibilis.

Responsio.

Distinguo antecedens. Semper adest auxilium sufficiens, tunc cum propriè peccatur. Concedo antecedens. Cum non peccatur, sicuti non peccatur, quando est ignorantia invincibilis. Nego antecedens. Vide num. 44.

§. 13. *De mendacio & scientiâ.*

Epistola.

129. MAlè infertur eos esse mentitos, & licet canonizati sint, esse damnatos, qui contrà veritatẽ fecerint aut docuerint, quando ignorantia omnis juris naturæ esset vincibilis. Probatur assumptũ, retorquendo argumentum. Nam eodem jure inferre potero, quod illi qui docent

ignorantiâ

ignorantiâ invincibili excusari peccatum, etiam damnare debeant eos, qui contrarium docent.

Responsio.

Nego assumptum, & ejus probationem; disparitas est, quod nos possimus eos excusare per ignorantiam invincibilem, ut patet. Adversarii verò præcludunt sibi istam excusandi viam. Proderit omnino videre num. 41. 45. & 94.

Epistola.

130. Nemo dixerit nullam dari ignorantiam juris naturæ. Ergò malè dicitur, quod quisque possit infallibili scientiâ determinare, quid verum sit.

Responsio.

Distinguo consequens. Malè id dicitur, quoties ignorantia juris naturæ est invincibilis. Concedo consoquentiam. Malè id dicitur si omnis ignorantia juris naturæ vincibilis sit. Nego consequentiam. Si enim vincibilis sit, cur non possit vinci, & certa acquiri scientia?

§. 14' *De Hæreticis, jugo suavi, & arctâ viâ.*

Epistola.

131. SEntentia negans nos liberari à peccato per ignorantiam, *si grata est Heterodoxis, tantò facilus* ad Ecclesiam Romanam adducentur.

Responsio.

Nego assumptum, contrarium enim vidimus num. 49.

Epistola.

132. *Iugum Christi suave est, & onus levè, amanti scilicet, & charitate fervido.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Suave est amanti, si ignorantia invincibilis excuset. Concedo assumptum. Si non excuset, nego assumptum. Annotavimus enim num. 82. etiam amore ferventissimis onus importabile sic imponi.

Epistola.

133. Nemo potest viam, quæ ducit ad vitam arctiorem aut ampliorem facere. Sed hæc talis est, qualem nobis Christus constituit.

Responsio.

Concedo totum. Ideò miramur talem ab Epistolâ defendi, qualem Christus nullibi constituit. Prout demonstravimus num. 82. & 83.

§. 15. *De Pontificibus & conciliis.*

Epistola.

134. BOnifacius VIII. tit. de reg. juris, reg. 13. in 6. dicit; *Ignorantia facti, non juris excusat.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Dicit hoc de ignorantia quæ præsumitur in judicio humano, & foro externo. Concedo assumptum. De ignorantiâ, quam Deus qui scrutatur corda, cognoscit in foro conscientiæ. Nego assumptum. Vide num. 78.

Epi-

Epistola.

135. Adrianus VI. docet ignorantiam juris naturalis de primis principiis & aliis, quæ quis pro officio suo scire tenetur, unicuique esse damnabilem. Ergo agens ex ignorantia juris naturæ non excusatur.

Responsio.

Distinguo antecedens. Dicit ignorantiam illam esse damnabilem, quia vincibilis est. Concedo antecedens. Docet id quod fit ex ignorantiâ invincibili esse damnabile. Nego antecedens. Vide num. 77. & 78.

Epistola.

136. *Quod ad Concilia attinet, tot possum adducere, quot impia Pelagii cælestique dogmata proscripserunt.* Probatur assumptum. Nam constat *unum ex istorum hæreticorum erroribus fuisse, oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato.*

Responsio.

Nego assumptum. Probationem ejus distinguo. Hæreticorum illorum error fuit, oblivionem & ignorantiam nulli subjacere peccato, neque formali, neque materiali, aut impropriè dicto quale descripsimus ex Augustino num. 57. sed esse naturæ primordia. Concedo probationem. Hæreticorum illorum error fuit, quod dicentes oblivionem & ignorantiam esse pœnam peccati, & subjacere peccatis plurimis & maximis, tam propriè, quam impropriè dictis, sicut nos censemus, simul dixerint, non esse peccata propriè dicta, quæ fiunt ex ignorantiâ invincibili

invincibili juris naturæ. Nego probationem. Vide errorem illorum hæreticorum, & D. Augustinum contrà illos depugnantem num.79.

§. 16. & 17.

Nihil hic eſt, quod judicemus nunc egere reſponſo.

§. 18. *De dubio.*

Epiſtola.

137. EA omnia, quæ in Epiſtolâ ſunt relata, non poſſunt ſaltem non movere aliquod dubium. Atqui in dubio, ubi agitur de æternâ ſalute, ſecurior pars in praxi eſt amplectenda. Ergò amplectenda eſt pars negans nos ignorantiâ invincibili excuſari à peccato. Probatur conſequentia. Quia eſt pars ſecurior.

Reſponſio 1.

Nego ſuppoſitum. Supponitur nimirum, quod ſententia Epiſtolæ, ſi vera eſſet, aliquatenus juvare poſſet praxim. Dico autem, quod nihil omninò faciat ad praxim. Nam præcavenda ſunt etiam peccata materialia, quando præcaveri poſſunt. Denique nihil in praxi immutat, niſi quod turbet animos, & ſpem non peccandi minuat, & omnia officia ac munera in republica tam ſacra, quam profana, prorſus reddat damnabilia. Conſiderentur ea, quæ diximus num.82. 91. 92. & 93.

Reſponſio 2.

Diſtinguo majorem. Non poſſunt non movere

vere aliquod dubium, si non examinentur, & si considerentur sine opposita auctoritate & ratione. Transeat major. Si consideretur simul opposita auctoritas & ratio. Nego majorem. Præsertim si loquamur de dubio practico, ut vocant. Non enim sic magis dubitari videtur posse, quam dubitari possit, an ignorantia juris positivi invicta etiam excuset, vel an licitum sit afficere morte reum v. g. solius furti: & de pluribus aliis. Imò si relinqueretur locus dubitandi: magis probabile esset, neutrius juris ignorantiâ invictâ, nec positivi scilicet nec naturalis, excusari peccatum, quam quod non excusetur ignorantia solius juris naturæ. utraque enim est pœna peccati, sicut clarè nos docet D. Thomas 2. 2. q, 105. art. 1. & Augustinus Epist. 105. ad Sixtum, & nos annotavimus num. 326. & 107. Sed vide de hac responsione etiam num. 47.

Responsio 3.

Quamvis major esset vera. Nego consequentiam, ejusque probationem. Quia non potest esse securior illa pars, quæ (prout probare conati sumus toto hoc volumine) maximè repugnat rationi, & auctoritati, maximeque affinis videtur esse (salvò semper judicio Sedis Apostolicæ) propositionibus damnatis: ac Denique magis remota à veritate, quæ Christus est, per quem pervenitur ad Patrem, sicut Epistola ipsa notat hoc eodem paragrapho. Vide totam hanc quæstionem & nominatim num. 46. & 47.

§. 19. De

§. 19. *De dogmatis evulgatione.*

Epistola.

138. *Non arbitror necessarium, ut de istâ veritate* (quam scilicet Epistola tuetur) *pro Evangelico pulpito disputetur, cum sint multa tacenda, ut ait Augustinus, propter incapaces, ne pejores faciamus* &c.

Responsio.

In hypothesi, quod doctrina Adversariorum veritas esset. Nego assumptum, nego, inquam, Epistolam id benè arbitrari. Nam num. 82. pluribus ostensum est, in illâ hypothesi vel maximè dogma illud divulgandum fore.

Epistola.

139. *Si quando confessarii invenerint pœnitentes, qui ejusmodi peccatis ignorantiæ fuerint obnoxii, eos privatim admoneant, doceant, ad pœnitentiam adhortentur, & adducant.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Si possit de ejusmodi peccatis esse idonea pœnitentia, tunc à confessariis ad illam hortandi & adducendi confitentes sunt. Concedo assumptum. Si nulla dari de iis possit idonea pœnitentia, tunc ad illam adhortandi

tandi & adducendi sunt. Nego assumptum. Demonstravimus autem (ni fallor) de illis peccatis, nec idoneam pœnitentiam, nec propositum emendationis esse posse. Vide num. 23. 24. 25. 26. & 93.

§. 20. *Conclusio Epistolæ.*

140. NIhil hic occurrit animadversione in præsentiâ dignum.

Habemus itaque hic brevem totius Epistolæ seriem. Complexi sumus capita præcipua. cetera superior ille Religiosus persequi poterit, quando occasio & tempus ejus responsioni fuerit maturum. Quamquam vix quidquam existimem neglectum, quod non contineatur capitibus illis, quæ in medium protulimus, aut quod facili negotio ex iis non possit dilucidari. Ferè enim privata sunt & minoris ponderis, quæ omisimus, id quod necesse fuit fieri, postquam deliberatum nobis erat, non tam Epistolam ipsam, quam argumenta universæ Adversariorum parti communia, examinanda & refutanda suscipere.

Porrò in hac epitome ad singula capita unicam plerumque posuimus responsionem; rarò binas, trinas semel: cum tamen in promptu essent responsiones plures. Sed has inveniet, cuicumque grave non fuerit locos quæstionis revolvere in hac eptime assignatos. Videbit

debit siquidem ibi Adversariorum tela variè retorta, aliosque modos, eos revincendi. Sed maluimus hic esse breves, ne rem actam iterum videremur agere.

FINIS.

ELENCHVS
DE
PECCATIS IGNORANTIÆ
SIVE
QUÆSTIO THEOLOGICA,
AN
INSUPERABILIS IGNORATIO JURIS NATURÆ LIBERET A PECCATO.

PARS PRIMA.

ELENCHVS

PARS SECVNDA.

ELENCHUS
PARS TERTIA.

FINIS.

APPROBATIO.

IMprimi poterit Tractatus hic de peccatis ignorantiæ. Hac 24. Jul. 1681.

A. HOEFSLACH S.T.L. *Eccl. Cathed. Antverp. Can. Grad. & Semin. Episc ejusd. Præses, Libr. Censor.*

Quædam partim Errata, partim addita ab Auctore.

PAg. 16. lin. 24. naturale lege naturali. pag. 19. lin. 16. *minuit sed aufert* lege *sed omnino aufert* & sic quoties redit eadem auctoritas. pag. 28. lin. 19. *non diminuit* lege *non diminuat.* pag. 38. lin. 19. solatum lege solatium. pag. 38. lin. 5. *panitentia actus* lege *panitentis actus.* pag. 43. lin. 5. peccaorum lege peccatorum. pag. 43. linea penultima narali lege naturali. pag. 45. lin. 9. *deliquerunt* lege *deliquerint.* pag. 46. lin. 17. pænitiæ lege penitentiæ. pag. 51. lin. 21. *credere noluerunt* lege *intelligere noluerunt. Peccatum est* lege *sine dubitatione peccatum est.* Lin. 22. *qui non audierunt nec potuerunt* lege *non potuerunt.* lin. 23. 1. 2. lege 1. 2. pag. 55. lin. ultima adifferant lege edifferant. pag. 57. lin. 2. in eluctabili lege ineluctabili. pag. 60. lin. 18. *mogis* lege *magis.* pag. 70. lin. 28. art. 3. lege art. 4. pag. 73. lin. 14. dominata lege dominatu. pag. 76. lin. 7. ques. 122. lege disp 122. pag. 81. lin. 19. *habuissent tamen* lege *autem.* pag. eadem lin. 22. qu. 72. lege qu. 9. pag. 88. lin. 26. Cap. 11. lege 12. pag. eadem lin. 28. Cap. 68. lege Cap. 48. pag. 93. lin. 22. de duabus animabus lege Cap. 11. de duabus animabus. pag. 94. lin. 1. *infamia* lege insaniæ. pag. 99. lin. 23. præsertum lege præsertim. pag. 124. lin. 19. *audierunt* lege *audirent.* pag. 125. lin. 8. *sic esse* lege *sic vehementer esse.* pag. 128. lin. 9. *scientia*, aliud exemplar habet *notitia.* pag. 132. lin. 2. propositionis lege propositio-

V nes

nes.pag.eadem in titulo articuli primi lib.1.lege lib.3.pag. 135.lin. 13.*ta na* lege *tanta* pag.137.lin. 1.*natura* lege *natura*.pag.145.lin.9.*debita* lege *reddita*.pag.eadem lin.penultima *in debitum* lege *indebitum* pag. 150. lin. 4. *potuerint* lege *potuerunt*. pag.151.lin 27. Augustini lege Augustinus. pag. 163. lin.16. lævit.lege levit. pag.164. lin.14.*divina* lege *Dei*.pag.166. lin.11. Clesiphontem lege Ctesiphontem.pag.167. lin.1. lib.19. moralium cap.20. lege juxta parisiensem editionem lib. 19. moralium cap.14. pag.169. lin.27.*Congruevtur* lege *Congruenter*. pag.170. lin.15. ad ad lege id ad. pag.171. lin.16. afferri lege afferre. pag.177.lin.26.*id* lege *hoc*, pag.181. lin.6. *& ad malum* lege *vel malum*. pag.eadem lin.19. *talium* lege *harum*, pag.185. lin.28. *qui nesciens* lege *qui peccavit nesciens*, pag.188. lin.14. tractatu de differentia lege juxta impressionem basileensem de cognitione &c.pag.191. lin.24.*si* omitte vel lege *sunt*, pag.191. lin.27. incesus lege incestus, pag. 199.lin.7.art.1.lege 10. pag. eadem lin.17. cap. 4. adde de ignorantia, pag.200. lin.4. *peccat* lege *peccatum* & adde. idem pluribus prosequitur in 2da. citatione Altisiodorensis. eadem pag. lin.27. in quodlib.2. qu.2. argumentis ad 2. lege qu.2. sine Argumentis ad 2. litt.c. pag.202. lin.24. stackerum lege hackerum, pag.209. lin.12. *nam vero* lege *eam vero*, pag.232. lin.20. apostolis lege Apostolus.


Textus


Textus græcus S. Gregorii Nazianzeni pag. 60. citati.

οἱ δὲ οὐδὲ εἰσιν ἐν δυνάμει τοῦ δέξασθαι, ἢ διὰ νηπιότητα Τυχόν, ἤ τινα τελέως ἀκούσιον περιπέτειαν δι' ἧς οὐδὲ βουλομένοις αὐτοῖς ὑπάρχει τυχεῖν τοῦ χαρίσματος . . . . τοὺς δὲ μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι περὶ τοῦ δικαίου κριτοῦ, ὡς ἀσφραγίστους μὲν ἀπονήρους δὲ ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν ἢ δράσαντας.

Textus S. Hiëronymi pag. 164. citati non nihil diversus.

Rogo quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientiæ, nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo: & quid amplius faciam? si sponte peccavero.


ROMA



invincibili juris naturæ. Nego probationem. Vide errorem illorum hæreticorum, & D. Augustinum contrà illos depugnantem num. 79.

§. 16. & 17.

Nihil hic est, quod judicemus nunc egere responso.

§. 18. *De dubio.*

Epistola.

137. EA omnia, quæ in Epistolâ sunt relata, non possunt saltem non movere aliquod dubium. Atqui in dubio, ubi agitur de æternâ salute, securior pars in praxi est amplectenda. Ergò amplectenda est pars negans nos ignorantiâ invincibili excusari à peccato. Probatur consequentia. Quia est pars securiòr.

Responsio 1.

Nego suppositum. Supponitur nimirum, quod sententia Epistolæ, si vera esset, aliquatenus juvare posset praxim. Dico autem, quod nihil omninò faciat ad praxim. Nam præcavenda sunt etiam peccata materialia, quando præcaveri possunt. Denique nihil in praxi immutat, nisi quod turbet animos, & spem non peccandi minuat, & omnia officia ac munera in republica tam sacra, quam profana, prorsus reddat damnabilia. Considerentur ea, quæ diximus num. 82. 91. 92. & 93.

Responsio 2.

Distinguo majorem. Non possunt non movere

vere aliquod dubium, si non examinentur, & si considerentur sine opposita auctoritate & ratione. Transeat major. Si consideretur simul opposita auctoritas & ratio. Nego majorem. Præsertim si loquamur de dubio practico, ut vocant. Non enim sic magis dubitari videtur posse, quam dubitari possit, an ignorantia juris positivi invicta etiam excuset, vel an licitum sit afficere morte reum v. g. solius furti: & de pluribus aliis. Imò si relinqueretur locus dubitandi: magis probabile esset, neutrius juris ignorantiâ invictâ, nec positivi scilicet nec naturalis, excusari peccatum, quam quod non excusetur ignorantia solius juris naturæ. utraque enim est pœna peccati, sicut clarè nos docet D. Thomas 2. 2. q, 105. art. 1. & Augustinus Epist. 105. ad Sixtum, & nos annotavimus num. 326. & 107. Sed vide de hac responsione etiam num. 47.

Responsio 3.

Quamvis major esset vera. Nego consequenquentiam, ejusque probationem. Quia non potest esse securior illa pars, quæ (prout probare conati sumus toto hoc volumine) maximè repugnat rationi, & auctoritati, maximeque affinis videtur esse (salvò semper judicio Sedis Apostolicæ) propositionibus damnatis: ac Denique magis remota à veritate, quæ Christus est, per quem pervenitur ad Patrem, sicut Epistola ipsa notat hoc eodem paragrapho. Vide totam hanc quæstionem & nominatim num. 46. & 47.

§. 19. De

§. 19. *De dogmatis evulgatione.*

Epistola.

138. N*On arbitror necessarium, ut de istâ veritate* (quam scilicet Epistola tuetur) *pro Evangelico pulpito disputetur, cum sint multa tacenda, ut ait Augustinus, propter incapaces, ne pejores faciamus* &c.

Responsio.

In hypothesi, quod doctrina Adversariorum veritas esset. Nego assumptum, nego, inquam, Epistolam id benè arbitrari. Nam num. 82. pluribus ostensum est, in illâ hypothesi vel maximè dogma illud divulgandum fore.

Epistola.

139. *Si quando confessarii invenerint pœnitentes, qui ejusmodi peccatis ignorantiæ fuerint obnoxii, eos privatim admoneant, doceant, ad pœnitentiam adhortentur, & adducant.*

Responsio.

Distinguo assumptum. Si possit de ejusmodi peccatis esse idonea pœnitentia, tunc à confessariis ad illam hortandi & adducendi confitentes sunt. Concedo assumptum. Si nulla dari de iis possit idonea pœnitentia, tunc ad illam adhortandi

tandi & adducendi sunt. Nego assumptum. Demonstravimus autem (ni fallor) de illis peccatis, nec idoneam pœnitentiam, nec propositum emendationis esse posse. Vide num. 23. 24. 25. 26. & 93.

§. 20. *Conclusio Epistolæ.*

140. Nihil hic occurrit animadversione in præsentiâ dignum.

Habemus itaque hic brevem totius Epistolæ seriem. Complexi sumus capita præcipua. cetera superior ille Religiosus persequi poterit, quando occasio & tempus ejus responsioni fuerit maturum. Quamquam vix quidquam existimem neglectum, quod non contineatur capitibus illis, quæ in medium protulimus, aut quod facili negotio ex iis non possit dilucidari. Ferè enim privata sunt & minoris ponderis, quæ omisimus, id quod necesse fuit fieri, postquam deliberatum nobis erat, non tam Epistolam ipsam, quam argumenta universæ Adversariorum parti communia, examinanda & refutanda suscipere.

Porrò in hac epitome ad singula capita unicam plerumque posuimus responsionem; rarò binas, trinas semel: cum tamen im promptu essent responsiones plures. Sed has inveniet, cuicumque grave non fuerit locos quæstionis revolvere in hac eptime assignatos. Videbit

debit siquidem ibi Adversariorum tela variè retorta, aliosque modos, eos revincendi. Sed maluimus hic esse breves, ne rem actam iterum videremur agere.

FINIS.

ELENCHUS
DE
PECCATIS IGNORANTIÆ
SIVE
QUÆSTIO THEOLOGICA,
AN
INSUPERABILIS IGNORATIO JURIS NATURÆ LIBERET A PECCATO.

PARS PRIMA.

cunt

ELENCHVS

PARS SECVNDA.

Con-

ELENCHUS

PARS TERTIA.

FINIS.

APPROBATIO.

IMprimi poterit Tractatus hic de peccatis ignorantiæ. Hac 24. Jul. 1681.

A. HOEFSLACH S.T.L. *Eccl. Cathed. Antverp. Can. Grad. & Semin. Episc ejusd. Præses, Libr. Censor.*

Quædam partim Errata, partim addita ab Auctore.

PAg. 16. lin. 24. naturale lege naturali. pag. 19. lin. 16. *minuit sed aufert* lege *sed omnino aufert* & sic quoties redit eadem auctoritas. pag. 28. lin. 19. *non diminuit* lege *non diminuat.* pag. 38. lin. 19. solatum lege solatium. pag. 38. lin. 5. *pænitentiæ actus* lege *pænitentis actus.* pag. 43. lin. 5. peccaorum lege peccatorum. pag. 43. linea penultima narali lege naturali. pag. 45. lin. 9. *deliquerunt* lege *deliquerint.* pag. 46. lin. 17. pænitiæ lege penitentiæ. pag. 51. lin. 21. *credere noluerunt* lege *intelligere noluerunt. Peccatum est* lege *sine dubitatione peccatum est.* Lin. 22. *qui non audierunt nec potuerunt* lege *non potuerunt.* lin. 23. 1. 2. lege 2. 2. pag. 55. lin. ultima adifferant lege edifferant. pag. 57. lin. 2. in eluctabili lege ineluctabili. pag. 60. lin. 18. *mogis* lege *magis.* pag. 70. lin. 28. art. 3. lege art. 4. pag. 73. lin. 14. dominata lege dominatu. pag. 76. lin. 7. ques. 122. lege disp 122. pag. 81. lin. 19. *habuissent tamen* lege *autem.* pag. eadem lin. 22. qu. 72. lege qu. 9. pag. 88. lin. 26. Cap. 11. lege 12. pag. eadem lin. 28. Cap. 68. lege Cap. 48. pag. 93. lin. 22. de duabus animabus lege Cap. 11. de duabus animabus. pag. 94. lin. 1. *infamiæ* lege insaniæ. pag. 99. lin. 23. præsertum lege præsertim. pag. 124. lin. 19. *audierunt* lege *audirent.* pag. 125. lin. 8. *sic esse* lege *sic vehementer esse.* pag. 128. lin. 9. *scientiæ*, aliud exemplar habet *notitiæ.* pag. 132. lin. 2. propositionis lege propositio-

nes.pag.eadem in titulo articuli primi lib.1.lege lib.3.pag. 135.lin. 13.*ta na* lege *tanta* pag.137.lin. 1.*natura* lege *natura*.pag.145.lin.9.*debita* lege *reddita*.pag.eadem lin.penultima *in debitum* lege *indebitum* pag. 150. lin. 4. *potuerint* lege *potuerunt*. pag.151.lin.27. Augustini lege Augustinus.pag. 163. lin.16. lævit.lege levit. pag.164. lin.14.*divina* lege *Dei*.pag.166. lin.11. Clesiphontem lege Ctesiphontem,pag.167. lin.1. lib.19. moralium cap.20. lege juxta parisiensem editionem lib.19. moralium cap.14. pag.169. lin.27.*Congruentur* lege *Congruenter*. pag.170. lin.15. ad ad lege id ad. pag.171. lin.16. afferri lege afferre. pag.177.lin.26.*id* lege *hoc*, pag.181. lin.6. *& ad malum* lege *vel malum*. pag.eadem lin.19. *talium* lege *harum*, pag.185. lin.28. *qui nesciens* lege *qui peccavit nesciens*, pag.188. lin.14. tractatu de differentia lege juxta impressionem basileensem de cognitione &c.pag.191. lin.24.*si* omitte vel lege *sunt* , pag.191. lin.27. incesus lege incestus, pag. 199.lin.7.art.1.lege 10. pag. eadem lin.17. cap. 4. adde de ignorantia, pag.200. lin.4. *peccat* lege *peccatum* & adde. idem pluribus prosequitur in 2da. citatione Altisiodorensis. eadem pag. lin.27. in quodlib.2.qu.2. argumentis ad 2. lege qu.2. sine Argumentis ad 2. litt.c. pag.202. lin.24. stackerum lege hackerum, pag.209. lin.12. *nam vero* lege *eam vero*, pag.232. lin.20. apostolis lege Apostolus.

Textus

Textus græcus S. Gregorii Nazianzeni pag. 60. citati.

οἱ δὲ ὐδὲ εἰσιν ἐν δυνάμει τῦ δέξασθαι, ἢ διὰ νηπιότητα Τυχόν, ἤ τινα τελέως ἀκύσιον περιπέτειαν ἐξ ἧς ὐδὲ Βυλομένοις αὐτοῖς ὑπάρχει τυχεῖν τῦ χαρίσματος . . . . τὺς δὲ μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι περὶ τ͂ δικαίυ κριτοῦ, ὡς ἀσφραγίςυς μὲν ἀπονήρυς δὲ ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν ἢ δράσαντας.

Textus S. Hieronymi pag. 164. citati non nihil diversus.

Rogo quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientiæ, nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo: & quid amplius faciam? si sponte peccavero.



